

Kauflich erworben
von der ULB Halle



Freiherr v. Ende-Schlossnitz.

von der ULB Halle

XIX. Diff. Jan. 2010

Q. F. F. S.

17

DE

LITE CONTESTATA COMMODA PLERVM- QVE INCOMMODA NVN- QVAM

PRAESIDE

NICOLAO HIERONYMO GVND-
LINGIO ICT.

SERENISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS
INTIMIORIBVS ET ECCLESIASTICIS, IVRIS NA-
TVRAE AC GENTIVM I^TEM QVE ELOQVENTIAE
ATQVE ANTIQVITATVM PROFESSO-

RE ORDINARIO

D.
Nouembris H. L. Q. C.

DISPV TABIT

DANIEL FRIDERICVS RAMSLER
Cantstadiensis Wurtenbergicus.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

LIBRARY
CONTENTS OF
COMMODA PRAE-
PARATA IN
NIGRORUM ET
SERVATIUM
DANICÆ HABITANT



CONSPPECTVS DISSERTATIONIS CAP. I.

De litis contestatione in genere.

§. I. Litis contestatio quid? Litis vocula ancepit. §. II. Est conflictio. Confligentes actor & reus. Negatione necessaria. §. III. Cuius necessitatem perperam oppugnat Goeddeus. §. IV. Praetor ordinabat iudicium. §. V. simulatque iudicem dabat ex albo: quem partes eligeant: deinde, post electum & solemniter addictum iudicem in hoc se eumque uocet consentire praesentibus testibus pronuntiabant. §. VI. Unde conuentionis nouae litis contestatio nomen fert. Vera ratio, quare pater in causa filii iudex potuerit esse. §. VII. Res in praxi eadem quodammodo: et si solennia cessant. Litis contestatio classicum futuri belli est. §. VIII. An actor solus litem contestetur? Questio haec à λογοπαχτᾳ liberatur. §. IX. Litis contestatio in omnibus causis plene pertractandis necessaria; etiam in possessoriis bodiernis. Eadem renunciari nequit. §. X. Confundunt pragmatici quidam positiones cum interrogacionibus in iure faciendis: quæ litis contestationem antecedebant. Litis contestatio specialis nouum inuentum est. Unde defluxerit? §. XI. An exceptiones peremptoria litis contestationem apud Romanos effecerint aliquando? quod adseratur. §. XII. et si peremptoria exceptio alis argumentis erat probanda. Quod bodie fallit. §. XIII. Veteri iure exceptiones dilatoriæ impediebant litis contestationem; nouo non item: utpote quæ in euentum, antequam illæ sint dispulsa, adneditur.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

CAP. II.

De litis contestatae commodis.

§. I. Ratio ex æquitate naturali de prompta, quare litis contestatio si virilis. §. II. Pauli ICti argute dicta actori litem contestanti multum commodi promittentis. §. III. Quare litis contestatione nouatio dicatur fieri, perspicue ostenditur. Nouatio voluntaria & necessaria comparantur. §. IV. Obuiam itur dubiis dissentientium. §. V. Quare Romani non dixerint litis contestationem pactum, nec verum contractum, sed quasi? §. VI. Titio Lipsiensi Doctori responderetur in legibus Romanis pactum nominari contendenti. §. VII. In nostris foris piaculum haud erit, nominare eam pactum, aut conuentionem veram; immo tacitam. §. VIII. Idem inde effectus, imprimis, ut ad hæredes transeant actiones alioquin peritutæ. §. IX. Quot modis potissimum pereant? §. X. In iuriarum actio sic in hæredes actoris transit. Ius ad iniuriam vindicandam defuncto competens transfunditur in obligationem iudicati per nouam conuentionem. §. XI. Quomodo litis contestatione actiones efficiantur perpetuae? Ratio eius rei. Olim omnes actiones ciuiles perpetuae. Theodosius iunior tempore definituit. Ante hanc etatem nullus hac parte litis contestationis effectus. Iustiniani legislatio quadragenarias actiones efficiens. Quare hodie appellentur perpetuae? §. XII. Iustinianus à Wissenbachio haud vane reprehensus. §. XIII. Olim litis contestatio uscipationem non interrumpebat, sicuti præscriptionem. Ratio Cuiacii solida. Quid hodie non more? §. XIV. Interrupcio præscriptionis est initium perpetuandarum actionum, seu perpetuitatis actionum. Vnde nec falluntur, qui coniungunt, nec qui dividunt ac se iungunt. Præscriptione quippe sublata, lex operari incipit. §. XV. Litis contestatio actionem noxalem & quadrupedarium sustinet, tame si res perit, animal puta, vel mancipium. Virum hæ actiones sint rei persecutoriae

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

riæ, an poenales? Adfirmatur prius. §. XVI. Litis contestatio in rei delinquentis hæredes actiones propagat. Ratio huius rei. §. XVII. An accusatio quoque aduersus defuncti hæredes locum habeat post litem contestatam? Modestinus ICTus etiam condemnationem requirit. Meius ad multam pecuniarium ac poenam accusatione posse aduersus hæredes porrigi e Modestini dictatis defendit. §. XVIII. Qui confutatur. Petrus Faber ad id, quod interest, actionem permittit. Cuius argumenta non improbantur. Bona adempta hæredibus proximioribus Iustinianeo iure relinquuntur. §. XIX. Transtus ad cetera commoda litiis contestatæ. §. XX. quæ in primis rem litigiosam efficit. §. XXI. Similiter occupationem operatur, vt ne adiecio solui amplius queat. Vlpiano lux leg. 57. ff. de solutionibus. Brissinus laudatus. §. XXII. Quid propriæ sit occupare in iure? §. XXIII. Quomodo litis contestatio malam fidem generet, & restitucionem fructuum? Idque generatim ostenditur. §. XXIV. Deinde speciatim in stricti iuriis contractibus, vii stipulatione, è qua fructus debentur post iudicium acceptum, seu nouam conventionem, quæ stipulationem repræsentat. Respondetur dissentientibus. §. XXV. Idem de usuris adfirmat Marcus Lyclama. §. XXVI. Cui suspectiæ feruntur. Wissenbachius reprobens. Noodtio respondetur V. C. Lis hac de re hodie inanis apud Germanos differentiam contractuum bonæ fidei & stricti iuris ignorantes. §. XXVII. Quid sit litis contestatione moram induci? Mora definitur. Nodtius & Lynkerus laudantur. Obrechius aliqui nimis crude loquentes in viam reducuntur.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

CAP. III.

De lite contestata non incommoda.

§. I. Insertur è regulis iuris, litem contestatam nūnquam fieri vere incommodam. §. II. Doctorum vulgaris error. §. III. Quæ incommoda respectu actoris dicuntur à scopo abludunt; eoque frustra appellantur incommoda. §. IV. Thema è collationum materia de filio emancipato proponitur, inque primis è l. 2. §. 4. ff. de collationibus ac l. 27. ff. de iniuriis & farnosis libellis. Falsa ratio quorundam Doctorum. Vera reddita. §. V. Litis contestatio nihil demit de veteri iure & actione, si hac sit actori vilis. §. VI. Exemplum difficillimum soluitur. Quod cessio efficit accepta sive conditione, id perpetram tribuitur litis contestationi. §. VII. Alia species è tit. ff. de separationibus illustratur cumque maxime l. 5. §. I. Litis contestatio cum hærede non perimit beneficium separationis. Ratio est quod is qui necessario hæredem conuenit, beneficium non relinquit voluntarie. Involuntaria recessio non est recessio iuridice talis. §. VIII. Veritutur quæstio: an creditores hæreditatis redire possint ad hæredem, dimissis creditoribus hæreditariis, post separationis beneficium impetratum? Et tollitur distinctione difficultas. Papinianus Paulo & Vlpiano conciliatur. Desiderius Heraldus notatus. Alioquin Papinianus sèpe Paulo vapulat. §. IX. Explicantur l. 22. ff. de tutelæ & rationibus distrahendis. Ratio Pauli vera, quare litis contestatio eo casu non noceat pupillo eiusque priuilegio. Neque enim sciuit, tutorem non esse soluendo, aut ad praestandum, quod petebat, inhabilem, §. X. Doctorum balluccina-

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

cinatio in exponendis regulis iuris 86. & 87. Ioannis Ferrarii Montensis illepeda illatio. Solus Iacobus Gotofredus acutum hoc loco videt.

CAP. III.

Comparatio practica commodorum litis contestationis cum commodis citationis hodiernæ.

§. I. Pragmaticorum multiplex hac in re imperitia. §. II. Vit ut enim citatio apud nos initium iudicij est; nequaquam tamen litis contestationis doctrina negligenter est inspicienda. §. III. §. IV. Omnis iudex hodie de iure & facto ex regula cognoscit. Magistratus Romani non item. Iudicium pedaneorum cura erat factum. Qui non penitus desherunt Theodosii & Justiniani aeuo. Schilterus & Nodius laudati. Ignoratur in nostris foris in ius vocatio & citatio sensu Romano. Nec apud nos iudices pedanei occurunt, prætor, cetera. §. V. Citatio publico nomine peragitur, secus atque in ius vocatio. Vnde initium iudicij à citatione hodierna. §. VI. Vmmii & Gailii distinctio commentitia, ne in foro penitus periret ius Romanum antiquum. §. VII. Inepte prouocatur in usu fori hodierno probando ad leges vetustas Romanas. Aliquid vidit Schilterus; vix tamen accurate confutat Gailium Vmmiumque, utpote qui elabuntur, si iuris Romani ratioullo modo admittatur. §. VIII. Georgius Beierus totam litis contestacionem Romanam à cura libertatis Romanæ deriuat, nihil violenti ferentis. §. IX. Qui refellitur. Citatio hodierna nihil violentiae contineat insuetæ. Conuentio in iudicem quare Romanis placuerit? Sed haec nondum absolvebat litis contestationem, sed

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

sed conuentio in xgvōμενον testato facta & deliberato animo. In quo nostrum ius consonat certo respectu veteri. §. X. Effectus citationis nostrae effectibus litis contestationis similes. §. XI. Proprii effectus litis contestationis eique singulares. Libelli immutabilitas non est incommoda actori, quamdiu HANC actionem, non ALIAM vuln persequi. §. XII. Citatio nostra actiones reddit perpetuas, non autem illoco ad hæredes transitorias. Error Titii perpetuas & transitorias actiones miscentis. §. XIII. Quæ distinguuntur merito: ut in camera imperiali legitime insinuate citationi e causa peculiari, quæ indicatur, talis vis tributa.

EMENDANDA.

- Pag. 4. lin. 10. lege ac noua conventione pro ac ne noua.
p. 10. l. 1. lege deciditur pro deciditur.
p. 13. l. 22. lege ἀντιστατεοντα pro ἀντιστέΦοντα.
p. 19. l. 8. lege l. 9. Cod. pro l. 7. Cod.



PROE-



PROOEMIUM.

DE litis contestatæ commodis disputatur necesse est, ut edifferant primo, quid sit litem contestari, deinde quid efficiat hæc contestatio, hoc est, quam commoda, quamue non sit incommoda.

CAP. I.

DE LITIS CONTESTATIO- NE IN GENERE.

§. I.

Vem finem vt conse-
quamur, dicimus, *litis contestatio-*
nem nihil aliud esse, quam eius rei, de
qua controuersia est, apud iudicem ex
viraque parte testato factam narra-
tionem. Etsi namqne lis quoque
est, antequam in iudicium dedu-
catur controuersia, nimis tamen laxe eo pacto litis vo-
cabu-



cabulum adhibetur. Vere autem lis demum est, cum contradicatur, & τὸ ξενόμενον ad rationis & firmamenti confectionem transffertur.

§. II.

Vbi conflictio, ibi configentes. Configentes sunt auctor & reus. Hic negat, ille adfirmat: alioquin enim nulla lis foret, contradic̄tio nulla. Et negare vero & adfirmare homines etiam extra iudicium solent: hinc necesse est, vt à vtrinaq[ue] de ceteris sint, & vtrinque narratio fiat testato, quo sic reapse tela litis inchoetur, & causa agitari & exerceri occupiat coram iudice.

§. III.

Qua de causa plane nobis displicent, in quibus Ioannes Gœddeus de V. S. ad l. 36. sibi admodum placet, existimans, reum non semper negare, sed s̄epe s̄aepe adfirmare respondere cum adiectione tamen. Facile quippe regeritur, reum qua actionem intentatam fatetur, adfirmare sane aliquid; sed haec adfirmatio neque reum illum facit, neque actionem sustinet; sed potius id, quod adiicit. Et adiicit autem, se quidem debuisse, sed soluisse, sed compensasse, sed transfigisse, cetera. Quæ additio efficit, vt reuera neget, quod auctor intendit; quippe qui adseuerat, reum sibi etiamnum debere, nec ab obligationis vinculo esse solutum. Ille vero nihil debere amplius contendit, aut saltē tanto se in ære esse negat ac pernegat. Ceterum largimur, aliquando negationem aiente oratione exprimi, vti fere omnes enunciaciones negantes tali circumitione efferri possunt. At nos, quid iuridice eueniat, expendimus, non, quid grammaticæ, vel per logicos anfractus fiat aliquando, differimus.

§. IV.

§. IV.

Igitur de iudice videndum potius. Sat enim scio, esse nonnullos, qui hic nobis Prætorem obuertunt, pro cuius tribunalii iudex sit datus & formula; sed quæ dari nequiusset, nisi prius per disceptationem innotuisset, quid veniret in quæstionem. Cui dubitationi ut occuratur, operæ pretium est, differere hac de re breuibus. Neutquam enim prætereundum, ordinasse Prætorem iudicium, atque audiuisse primum cum suis consiliariis, quæ esset intentio actoris; deinde quid exciperet reus, replicaretque actor; postea dedisse iudicem: at hæc omnia nondum absoluebant litis contestationem: immo vero neque inchoabant, ut quæ ordinato demum iudicio nascébatur. Saltem hoc Festus prodit diserte, simulque ex Cicerone, Plinio, Macrobio, Alconio bene innotescit, quos non exscribimus.

§. V.

Et iudicem vero Prætor dabat, nec eligendi ius per se erat partibus; sed tum demum, quando datus erat ex albo, aut accipere, aut repudiare iustis ex cauiss, aut eie- rare eum poterant. Quin et si interdum actor iudicem ferebat reo; minime tamen reus illum cogebatur acci- pere. Debebant partes conuenire; isque, in quem con- sentiebat vterque, addicebatur à Prætore, & sic ex con- uentione litigatorum acceptus dicebatur ADDICTVS; quem postmodum instruebat Prætor, formulamque futuri iudicii & quæstionem conceptam vel pure, vel cum exceptione exprimebat. Quo facto constitutum erat iudicium, constituta lis, aut, si maius, ordinata. Et hanc demum sequebatur LITIS CONTESTATIO; hoc est,

docente Geddeo ad l. 36. de V. S. datus index poscebat testes, ac prouocabat, quos utraque pars rogabat, & coram illis testabantur, se de HAC LITE constituta, id est, actione, sive iudicio ad hunc iudicem datum ire. Hinc vterque dicebat: TESTES ESTOTE. Sic plene acceptum erat iudicium, sic iudex acceptus plane.

§. VI.

Atque ab hac solenni testatione litis contestatio nomen trahebat; hincque factum, vt iudicium accipere saxe idem sit, ac item contestari, quia illico post iudicem acceptū actionis intentatæ tenor legitima ac ne noua conuentione firmabatur. Quæ conuentio effecisse videtur, vt etiam pater in caussa filii potuerit esse iudex, non, quod iudicis munus erat publicum, sed quod in iudicem consensit aduersarius, nec reiecit, nec eieravit, recte rationes suas subducente Iosepho Auerani I Cto Pisano doctissimo lib. I. Interpret. cap. V. n. 19. Iudex vero selectus & datus, & pro tribunali Prætoris acceptus de facto cognoscet in basilica, aut loco, quem Prætor addicendo & iubendo cognoscere, comprehendenderat, aut vbi sine incommodo litigantium iudicari poterat, copiosius id probante celeberrimo Nodtio lib. I. de Iurisdictione & imperio cap. XV. itemque Carolo Brettio cuius libellum opido rarum de ordine antiquo iudiciorum ciuilium in vulgus denuo edidit clarissimus Salengre in nouo Antiquitatum Romanarum Thesauro Tom. II.

§. VII.

Ne dicas obsoleta haec esse, nec praesenti foro conuenire. Quamlibet enim Prætoris & iudicis munus una in persona moretur apud nos, & illa interpretationum & for-

formularum solennitas diu sit sublata, testiumque con-
uocatio ab vnu receperit, nec apud Germanos in vsum
traducta sit vnuquam; eadem tamen res in effectu durat
& adest, quando actor litem denunciat, reusque actori
testato animoque litem contestandi in iudicio vel viua
voce, vel scripto respondet, sicque diserte vter-
que declarat, se litem ita suscipere, immo suscepisse. Vn-
de non male in bello hoc iuridico litis contestatio futuræ
velitationis classicum dicitur, post quam argumentorum
& probationum agmina in aciem educantur,

§. VIII.

Id quæri dignum, an, quod Iacobus Curtius adfir-
mat coniecturarum Tom. II. lib. I. cap. XXX. ab actore
potius, quam reo litis contestatio efficiatur, aut, quod
Cuiacius acute sustinet, actor duntaxat cum reo, non
reus cum actore litem contestetur? Ut nodum hunc
Gordium fecemus, & totam λογοταξιαν vno iectu tolla-
mus, ante omnia obseruamus: Leges XII. Tabularum
ita nobis litigantes depingere, vt ambo perorent præ-
sentes; quod indicio est, neutrum excludi ab hoc nego-
tio solenni. Quare certum, actorem contestari litem,
dum suam intentionem opponit futuræ responsioni rei;
& hunc vel vere respondere, vel pro respondente habe-
ri, si moras necat & iussus iudicis præcesserit. Iam ve-
ro neque Cuiacius, neque Curtius principiorum fon-
tes sectantur, neque rem ipsam contuentur, sed e conclusio-
nibus quibusdam sibi lemures fingunt. Nec enim
quæritur, actor ne litem denunciet reo, aut ad bellum
prouocet eundem; verum an hæc denunciatio absoluta
litis contestationem eoque pactio iudicium sit acceptum?

A 3

Quod

Quod I. Curtio imposuit, in primis hoc est: in rei arbitrio alioquin futurum, velutne aliquem statum causare facere, ac pedem conferre, an totam litem trahere in longum. Neque enim verum est, liberum id fore reo. Fac namque iudicem more maiorum ad reddendum ius sedere, & reum ad agendam rem rite fuisse vocatum ac me intentionem meam secundum iurisdictionis illius formam exposuisse clare; & nemo dubitabit forte, quin in contumaciam a reo quoque lis habeatur pro contestata, si strictum sequamur ius, nec longius spatium ei ex mera benignitate videatur indulgendum. Ex quo consequitur plane, utriusque partis in omni litis contestatione rationem haberi: vtut aliquando moras nequit reus, aut prorsus respondere ceslat, aut actor initium facit affirmatione sua. Sufficit hoc loco rei consensus presumptus; eoque in vanum recidit questio tota, quis magis litem videatur contestari, actor, an reus? Quin pragmaticorum quoque næniae in auras labuntur, dum e contrario a solius rei voce litterisque litis contestationem suspendunt.

§. IX.

Quibus ita constitutis bene demum intelligitur, omnibus in causis, in quibus requiritur libellus, quæque secundum juris ordinem plene tractantur, litis contestationem tam videri necessariam, vt partes nec ei expresse repudium mittere, nec tacite omittere possint, quia ob iudiciorum auctoritatem potius, quam litigantium fauorem introductorya. Non dicimus, litigantium fauorem penitus excludi. Etiam nobis non est incognitum, propterea eam in iudiciis esse introductoryam, vt tum

tum actor , tum reus certo cognoscant , de quo discep-
tent , quidue in probationem sit deducendum. At
cum & iudex intelligere debeat , super quo sit ferenda
sententia , neque lis proprie sit , vbi confusa & obscura
omnia ; idcirco partium renunciatio non solum non
adpendit , sed vana quoque & stulta lis esset futura to-
ta ; nisi quidem Andabatarum more pugnantes pro ve-
re certantibus habeat quisquam. Inde est , quod non
tantum in civilibus , vetum etiam criminalibus , nec in
solis petitorii , sed & possessorii caussis prorsus neces-
saria litis contestatio statuatur. De possessorii Vulte-
ius equidem de iudiciis lib. III. cap. I. n. 104. Petro Fabro
id statuenti ad l. 87. ff. de R. I. controversiam mouet ; sed
neutiquam tamen is de actionibus possessorii , sicuti ho-
die in foris proponuntur , sentire videtur ; verum de
iurisprudentiae antiquae interdictis , quæ alio longe mo-
do instituebantur olim , quam in præsenti : de quo nunc
non est dicendi locus.

§. X.

Potius indagandum , quo pacto , quibusue verbis
litis contestatio sit peracta. Plerique enim , qui vetera
negligunt , illico sibi persuadent , litis contestationem
generalem in fori usum *nove* irrepsisse , ac specialem *an-*
tiquius obtinuisse , vt cum ad singula libelli capita re-
spondet signate. Verum tamen magnopere errant.
Quippe apud Romanos interrogationes in iure præce-
debant , partim vt eliceretur aduersarii confessio , quæ
ab onere probandi liberabat actorem haud parum inter-
dum de modo probationis difficillimæ sollicitum ; par-
tim vt periculum plus petitionis euitaretur , partim de-
nique

8 CAP. I. DE LITIS CONTESTATIONE

nique ut vel actio ex ea informaretur, atque ad responsionem accommodaretur, vel noua actio acquireretur. Sicuti vero iam Tribonianus æuo illæ interrogations ante litem contestatam intercidere; ita positio-
num usus post litis contestationem in interrogationum locum successit errore pragmaticorum, qui omnes responsiones ad interrogata similes interrogationibus vetustis in iure faciendis existimauere: quod e *cap. 6. X. de iuramento in lit.* facile esset ad demonstrandum. Atque has positiones & responsiones ad illas plenam demum litis contestationem efficere vane sibi persuadebant. Nam cum animaduerterent, positiones inuen-
tas esse, ut speciatim responderet reus, nec generatim amplius negaret narrata, prout narrabantur; has sane velut appendicem litis contestationis sunt contuiti, eo-
que tum demum perfectam fieri litis contestationem credebant: cum e contrario Romani, antequam in iudicium irent partes, & de facto signate cognosceretur, omnia quæ ad statum causæ pertinebant, iam ordina-
uerint, perque interrogations suas in luce constitue-
rint; ita ut statim ad probationem ipsam pedem mouere potuerint litigantes. Interea in nostris foris felici errore euenit, ut lis non amplius sit generatim, sed speciatim ad singula capita contestanda, ne per positionum ambiguas questiones nouis ambagibus fenestra aperi-
retur, nec iurisurandi religio frequentia sacramento-
rum quadantenus profanaretur. Cuius mutationis Sa-
xones auctores fuisse præcipui videntur, quippe qui iam ante ultimam Imperii constitutionem, seu Recessum a.
1654. positiones iudicauere respuestas.

§.XI.

§. XI.

Inde vero liquet, quid de quæstione celebri sit habendum, an folius exceptionis peremptoriæ opposituli potuerit contestari? Vix enim dubium est, olim, cum generalia verba sufficerent, exceptioni peremptoriæ litis contestationem cohæsisse. Qui namque se soluisse, vel transactione, vel acceptilatione obligationem sublatam contendit, is sane intentionem actoris oppugnat; dummodo de animo item contestandi constet. Et constat vero, nisi diserte de animo item non contestandi intercedat excipiens, ac item ingredi detrectet; sed illico suæ exceptionis veritatem ante oculos Iudicis constitutat. Vnde formula notissima: daß Beklagter auf die Klage sich einzulassen nicht schuldig.

§. XII.

Quin animum induco, veteri iure litis contestationem fuisse satis plenam; et si exceptio erat aliis argumentis probanda. Satis quippe erat, reum actori contradixisse, iudiciique totius *νομόμενον* negasse. Quod itidem hodie non procedit, postquam necessitas inualuit, ut singulis capitibus actoris respondeatur; & clare ac seorsum universa atque singula sunt neganda. Quare iterum frequentissime pronunciatur: daß Beklagter seine Einwendens ungeachtet auf die wider ihn erhobene Klage zu antworten, und den Krieg Rechtens zu befestigen schuldig, es bleibt ihm aber seine bereits opponierte exception nach der Kriegs-Befestigung, zerstörlicher Weise auszuführen vorbehalten.

§. XIII.

Simili ratione alia quæstio non minus prægnans sine

B

nego-

10 CAP. I. DE LITIS CONTESTAT. IN GENERE.

negotio diciditur. An exceptiones dilatoriæ impedi-
ant litis contestationem? Veteri quippe iure nemo am-
bigebat, impediri. Quomodo enim initium iudicij
fiat, si quis magistratus, pro cuius tribunalij erat disce-
ptandum, iurisdictionem non agnoscat? quomodo ac-
cipi iudicium, si procuratoris, si causidici munere non
potuerit fungi alieno nomine agens? Ergo hæc primum
diluenda erant. Neque dubium, quin hodienum in fo-
ro similis obseruantia sit; et si in euentum lis contestatur
exceptionibus dilatoriis nondum dispulsis. Diserte e-
nim interceditur, ut tum demum acceptum iudicium
consequatur effectum, si exceptiones dilationem conti-
nentes rigidum prius examen subeant, & bene ac solide
ab auctore confutatæ iudicis decreto penitus tandem au-
ferantur. Quod profecto satis prodit, litis contestatio-
nem post dilatoriaj demum exceptiones incipere: vtut
propter fori tricas illa hodie dilatoriis vno fasce compre-
hensis illico annectenda est, ne ad magnum Platonis æ-
uum manuum consertio & belli initium fiat, & vagis ra-
tiociniis interea de iudice, procuratore, aduocato, libel-
lo, cautionibus irreparabili controuercentium damno,
inter varia verborum inania, per saeculum & quod excur-
rit, disceptetur. Quod sicuti hodie receptum & lippis
notum; ita hanc praxin frustra aliquis apud Romanos
querat; eoque opera Iurium studiosis danda, vt, quæ ē
iure Romano, quæ itidem ē Canonum doctrina proflu-
ant, exacte separant, ac deinde fori trituram simili
industria obseruent. Plura de litis contestatione non addi-
mus, sed ad eius commoda merito pedem animumque
mouemus.

CAP.

CAP. II.

DE LITIS CONTESTATAE COMMODIS.

§. I.

Qui litem contestatur ius suum persequitur; & qui hoc facit, in re licita non solum veriatur; verum etiam legum praesidio tutus, earumque auxilio si ne commodo ac fructu dimitti neutquam debet. Quis enim ius suum auderet persequi, si pro argento lapides, pro auro scorias, pro fructu lolium, pro lucro damnum, pro commodo incommoda esset reportaturus? Igitur cum extremum repugnet aequitati, circumspicendum est, quid disposuerint leges, quiue effectus, litigantium bono, inde consequatur.

§. II.

Quod ut rite fiat adscribimus ante omnia l. 86. & 87. ff. de R. I. Non solet, inquit Paulus lib. VII. Quest. de terior conditio fieri eorum, qui litem contestari sunt, quam se non; sed plerumque melior. Quo cum conspirat, quod idem l. Ctus lib. XIII. Quest. adfert: Nemo enim in persequendo deteriorem causam; sed meliorem facit: denique post litem contestatam heredi quoque prospicitur, & heres tenetur ex omnibus causis. Nemo non intelligit, generatim primo actori a Iureconsulto non nihil utilitatis promitti, tum intuitu rei, tum personarum; dein speciatim recenseri aliqua, que pluribus comprobari & augeri exemplis possunt.

§. III.

Cuius promissi vim ut adsequamur, amplius videntur, quid actor efficiat reapse, quando in arenam de-

B 2

scen-

scendit & futuræ litis firmamentum ponit. Itaque, occurrit hic primum conuentio, quam vulgo nominant quasi contractum; insimulque animaduertitur nouatio, qua prior obligatio cum obligatione iudicati noua commutatur, dum mutuo se se obstringunt partes ad instantiam & solutionem iudicati. Vereor, ne me non intelligent tirones, neue etiam seipso non capiant magistri barbati, cum litis contestationem nouationem, quid? quod delegationem appellant. Quare teneas, eo potissimum contemplatu affirmari, litis contestationem operari nouationem, quod vetus paullisper seponitur, & noua obligatio utrinque inducitur, vt iudicato sine exceptione satissiat. Ipsa vero litis contestatio nouatio non est, quemadmodum nec stipulationem recte nouationem insignires; sed sicuti stipulatio efficit nouationem voluntariam, ita litis contestatio creat & producit nouationem necessariam; eoque reus & actor necessario nouant. De priori, nempe reo, non dubitatur: de posteriori vero, id est auctore, hoc inde claret, quod, dum aduersarium suum actione pulsare, eique litem denunciare cupit, is necessario se & aduersarium noua obligatione constringit, quandoquidem sine contestatione experiri iudicio neuter potest. Duntaxat queritur, quid nouetur? Nam cum nouatio alias veterem obligationem perimat, nouamque generet, non immerito dubitatur, an litis contestatio extinguat priorem obligationem? Absurdum enim videtur, illam magis constantem ac fixam reddere priorem obligationem, & tamen extinguere eandem. Sed salua res est. Neque enim confundi debent nouatio voluntaria & necessaria. Conueniunt quadam-

quadantenus, sed differunt quoque. Qui ius suum in iudicium deducit, is animo intendit, ut suam meliorem reddat conditionem. Quamobrem hictantum nouatio fit, quatenus expedit. Et expedit vero ac prodest vetus actor, qui ex antiqua obligatione reum habet obstrictum: & expedit iterum ac prodest noua eidem, dum per litis contestationem noue necit debitorem, partim ut iudicatum soluat, partim ut alia commoda consequatur, de quibus in sequentibus.

§. IV.

Qui hic dissentiant, existimant, perperam atque inconcinne adhiberi voculam NOVATIONIS. At hi cum Paulo transigant, qui l. 29 ff. de nouat. & delegat. litis contestatione nouationem fieri perspicue statuit, non, quod omnia æqualia, sed nonnulla, non, quod ex asse conueniat nouatio huiusmodi necessaria voluntaria; sed quod quædam immutet, nouasque qualitates afferat iuri & actioni iam natæ. Vnde à Doctoribus *cumulatiua* ab istis adiectionibus vocatur. Res tota è capite de relationibus decidenda est, quibus cum nostra iura plena sint, id eo necessarium valde videtur, aduertere animum ad eius generis comparationes, ne in λογομαχίας infidias incidamus, & contradictoria, seu διντισθέφοντα statuamus, vbi solum diuersi respectus occurront, ac considerationes diuersæ diuersas definitiones ac decisiones progignunt. Quocirca si ex me quæras cum grauitate: An litis contestatio nouet? nouat, respondeo. Si addas: an veterem obligationem penitus extinguit? non inquam extinguit semper. Si denique infistas interrogando, quare igitur nouatio appelletur à Paulo? tum serio re-

B 3

pono:

pono: quia nouas qualitates inducit, ac veteri obligatio-
ni non nihil addit, siue iudicatum fuerit post litis conte-
stationem, siue minus. Ex quo Paulo suppetiae adferun-
tur sat grandes, ne nouationis, quam in mente habuit, idea
euaneat.

§. V.

Quibus si nondum acquiescas, sed *nouationis* vocabulo
CONVENTIONIS nomen, seu **PACTI** substituendum cen-
ses, audi: Qui nouas qualitates suo facto gignit, omni-
no paciscitur, seu conuentionem init, si res naturaliter
pensetur. Omnis nouatio etiam conuentionem con-
tinet: nec forte erit aliquis, qui in ipsa stipulatione con-
ventionem latitare neget. Sed pactum vero nullam ob-
ligationem produxit more Romanorum, saltem nullam
actionem; idque circa non ausi sunt veteris iuris archi-
tecti litigantium conuentionem appellare pactum
simplex, multo minus pactum legitimum, quia lex defi-
cit, sed vocem quasi contractus maluere, vtut litis
contestatio in quasi contractuum numero diserte non
compareat, freti aliis quasi contractuum exemplis, quo-
rum in legibus signate mentio nulla fit. Neque enim
veri contractus nomen impertire illi potuere, cum nec ad
nominatos, nec innominatos iuste pertineat.

§. VI.

Nobis vero, qui germanam & naturalem simplici-
tatem sectamur, iam quidem perinde erit, nouatio voce-
tur, an conuentio, pactum, an quasi contractus? Dun-
taxat hoc nego, ipsam litis contestationem vocari in iure
Romano pactum nudum; quod vult Theophilus Ger-
hardus Titius ICtus olim Lipsiensis. Quas ille Lib. V.
Iuris

Iuris priuat. Romano Germanici cap. 14. excitat leges aliorum pertinent. Minimum lex 3. §. vlt. ff. de peculio non tam pacti meminit, quam contractus. Etenim iudicio contrahere non significat pacisci. Alterum vero Seueri & Antonini rescriptum, quod l. 2. C. de pactis continetur et si pactum tacitum commemorat, nequicquam tamen ad rem facit. Si quid cerno, hoc solum dicunt Imperatores : *Venditorem hereditatis non teneri amplius creditoribus hereditariis, qui ab emptore debita sua petiere: eumque defendi tacito pacto, cum sine ulla conditione ad emptorem conuolantes ipso facto reslinuerint à venditore, qui alioquin illis ad satisfaciendum utique suisset obstrictus.* De litis contestatione ne verbum inuenitur, multo minus quod ea sit TACITVM PACTVM. Operae pretium est, vt quæ argute ad h. l. in libello de pactis disputatione immortalis memoriae Donellus diligenter conferantur.

§. VII.

Quare fixum maneat, iureconsultos Romanos arti suæ innixos litis contestationem tum pro quasi contractu, tum nouatione veterem obligationem aut inducentem, aut multa noua adiciente habuisse. In nostris autem foris piaculum haud erit, eam nominare conuentionem tacitam ac veram : quandoquidem è litigantium facto perspicue fatis patefit, quod iudicij sortem velint subire, & post velitationes probationum ac reprobationum receptas expectare decretoriani iudicis sententiam. In effectu res eodem recidit hodie.

§. VIII.

Vbi enim quasi contractus, vel nouatio, vel vera conuentio; ibi mirum non est, actiones transire in heredes

redes. Quod idea nouationis, idem operatur idea veræ conuentionis, quæ itidem est noua. Qui conrrahit, qui paciscitur, pro se non solum, sed & hæredibus suis paciscitur contrahitque. Qui litem contestatur, tale quid facit; sibi & hæredibus prospicit igitur. Vnde conclusio certissima: litis contestationem prodesse vtique & meliorem facere conditionem actoris eiusque hæredis, siue in personam agat, siue in rem, siue ex contractu, siue ex delicto. Idem aliquando dicendum de reo, quo de postea.

§. IX.

Nunc monendum, pluribus actionibus suum quandam fatalem diem imminere, ita ut moriantur ac pereant, nisi certis remedii suffulciantur; ac pereant quidem 1) morte actoris, 2) tempore, 3) interitu materiae subiectæ, 4) obitu rei, cum quo iudicium testato nondum est firmatum.

§. X.

Vt primum eluceat, de actione iniuriarum morte actoris alioquin euanscente differemus. Neque enim iure potest hæres actoris eum, qui patrem, qui fratrem; qui defunctum atroci iniuria affecisset, actione inquietare; at si litem contestatus est actor cum eo, nihil impedit, quo minus hæredes in locum eius subeant, & famæ demortui consulentes estimationem iniuriæ illatae continent, aut poenam vrgeant calumnia dignam. Ratio in promptu est: reperiri iam actionem in hæreditate, & in bonis ac iuribus defuncti computari, posteaquam iudicium acceptum, & actio lite contestata est acquisita. Nihil hoc loco efficiunt vulgaria dicta: iniuriarum a-

ctio-

tionem tendere ad vindictam : suum dolorem vnum-
quemque aestimare, qui sentit : vltionem ossibus contu-
melia affecti inhærere : hunc illam abstergere & persequi:
ceterorum non interesse ; nec quemquam nisi punctum
huiusmodi doloribus angi. Facile enim reponitur :
non respicere hæredem dolorem, non maculam defuncto
impatetam, non incendi vindictæ cupiditate, non veteri &
cicatrice iam obducto vulnere discruciar. Nouum hic
ius cernitur in hæredem transmissum ; quod nouam o-
bligationem litis contestatione ex parte rei contractam
præponit. Quidquid vero transmittitur, non tam pœ-
nam, quam rei persecutionem continet ex contractu
permanentem, quo prius ius ad iniuriam vindicandam
defuncto competens in iudicati obligationem transfu-
sum est. Ex quo fit, vt iniuriam defuncti hæredes quo-
que persequantur, ac reus usque ad finem litis perseue-
re in iudicio debeat, quandoquidem quod defunctus
acquisivit, hæredes quoque accepisse videntur. Ita o-
ptime Donellus Commentar. Lib. XVI. cap. 20. ad titu-
lum *de nouationibus*, quem pauci excripsere, non intelli-
gentes solidam argumentandi vim, contenti obscura ad
quæstionem responsione. Et hoc in foro observari et-
iamnum, definitionibus ac præjudiciis nullo negotio li-
ceret confirmare, si, quæ Germanico idiomate respon-
dentur, maiorem vim haberent, quam quæ jam sunt de-
monstrata.

§. XI.

Ex eodem fonte alterum est, quod actiones tempo-
re periturae longiores ac perpetuae efficiantur. Impe-
ditur enim præscriptio, quando noua conuentione o-
mnis derelictio de medio tollitur, & animus retinendi

C

ac

ac conseruandi ius antiquum liquido appetet. Dico liquido. Qui enim contrahit, aut, hodierno stilo, pacificatur, vt obligatio & ius reciprocum lata sententia patescat, is sane euidenter ostendit, se nolle permettere, vt actio tam propere euanescat. At queritur, an abscisse actio in iudicio coepta ad triginta, immo XL. annos protendatur? Qui harum rerum non sunt imperiti, facile intelligunt, omnes actiones ex lege ciuili descendentes per se olim fuisse perpetuas atque aeternas, quoniam ipsa lex nullo tempore interit, sed ius persequendi suum immortale producit. Et tali arguento primum usos esse Quirites in confessio est. Constitutiones imperatoriae vero certis temporum limitibus vnamquamque actionem ciuilem circumscripsere. Nam quod e Legibus XII. Tabularum de usucapione adfertur, quasi iam prima Quiritium aetate actiones temporariae extitissent, ad rhombum non pertinet. *Dicendum est*, inquit doctus Iureconsultus Janus a Costa ad tit. I. de perpetuis & temporalibus actionibus, *hoc contigisse ex accidenti propter usucaptionem, interueniente scilicet usucapione, quæ cum certas haberet conditiones, non poterat omni casu procedere: atque ita cessante usucapione, actio in rem non minus, quam in personam perpetua manebat.* Quod autem ex accidenti venit, regula sane non obest. Igitur Theodosiana Constitutione tempore demum definitæ sunt tum actiones in rem, tum in personam; illæ XX. hæ XXX. annis. Ex quo consequitur, vt hanc ante constitutionem litis contestationis nullus eo casu effectus peculiaris fuerit. Durabat actio etiam non accepto iudicio. Quod tamen non est protrahendum ad actiones plerasque

que e iurisdictione Prætoris oriundas, quæ, quia magistratus annuus, annuæ sane fuerunt. Igitur non est ambigendum, quin hæ in primis post litem contestatam sartæ fuerint ac tectæ conseruatæ & e temporalibus demum perpetuae factæ, hoc est, ad triginta annos post constitutionem Theodosii iunioris porrectæ: quemadmodum illæ, quæ jam erant perpetuae constitutione Iustiniani, hoc est, l. 7. C. de præscript. 30. ann. usque ad quadraginta annos spirituæ receperæ, nulla distinctione inter reales ac personales actiones, inter bonæ ac mala fidei possessorem obtinente. Quare vero actiones re ipsa non perpetuae & sempiternæ iure nouo appellentur perpetuae, tironibus notum est. Manet nomen, et si res est sublata; aut, si maius, perpetuum est, quod viginti annos, vel quod excedit, manet, atque infra illud spatiū non extinguitur.

§. XII.

An vero Iustinianus summa prudentia illam legem ultimam condiderit, nostrum non est disquirere. Habet nonnulla Wissenbachius, quæ satis indicant, quam hac ratione lites efficiantur immortales, & actiones saepe ad LXX. annorum metam pertingant. Hinc forte factum, ut nusquam fere illa constitutio sit penitus recepta. Saltem in Gallia triennium a Carolo IX. præfixum est: in nostris terris annus, si diæ rivas τύχας actor iudicij exercitationem omittere cogatur. Longius spatium necessarium vix est; ac, si exceptio alicubi locum habeat; nequaquam tamen regula infringenda erit, multo minus vel XXX. vel XL. annorum cumulus post litis contestationem addendus. Quæ obseruatio etiam

C 2

con-

contra Theodosium juniores locum inuenit, qui an-
fam suppeditauit primus, ut tam longum annorum syr-
ma sola litis contestatio adiiceret, donec præscriptionis
exceptio cum effectu opponi possit. Quod incommo-
dum cum auferre iuris prudentiæ restaurator Iustinianus
debuisset, maioribus tricis locum dedit quadragenariam
præscriptionem introducens. Hoc sicuti dolendum;
ita variis statutis huic malo obuiam itum.

§. XIII.

Quemadmodum vero in tuto constitutum nunc est,
litis contestationem interrupisse præscriptionem actionum,
easque simul produxisse; ita videndum, an simili-
liter suspenderit usucaptionem rerum? Et negant hoc
Iureconsulti grauissimi, in quibus præcipue audiendus
Iacobus Gothofredus ad regulam iuris 139. *Iure enim,*
inquit, *cæpta usucatio per nudam litis contestationem non in-*
terrumpitur, id est, ut maxime Dominus rem suam a bona
fidei possessore, quam is usucapere cœpit, petierit iudicio, &
sic litem contestatus fuerit, si litem non peragat, si eum conde-
mari non faciat, bona fidei possessor nihilominus usucapio-
nem explere iure potest, neque ius domini saluum per-
manet per litis contestationem: denique non interpellatur
usucatio litis contestatione: l. 2. §. vti. ff. pro empore
(quam legem obseruandum est coniungi oportere cum l.
141. infra, hoc tit. ab hinc altera, que in eodem usuca-
pionis argumento versatur) item l. se post acceptam 18. ff. de R. V.
l. 2. ff. pro donato. l. 9. §. 5. & 6. ad exhib. Usucatio non interrum-
pitur iudicio seu condemnatione. Quanquam retro, si lite pen-
dente bona fidei possessor inter moras iudicii usucaptionem expla-
uerit, tamen domino res reddenda est, neque usucaptionis expla-

16

tæ ratio habetur, d. l. 18. ff. de R. V. Quæ tametsi vera sunt, remanet tamen Icrupulus, quare interpelletur præscriptio, vsucapio similiter non interpelletur? A qua dubitatione, nemo melius, quam Cuiacius nos liberat, rationem differentiæ in paratitilis ad ffi. afferens *pro empto*, quod nempe vsucapio sit juris, præscriptio facti. Neque enim vsucapio sola possessione, sed etiam apertis verbis legis XII. Tabularum nititur; præscriptio vero meri facti est, quia sola possessione, non iure nititur. Et neque vero fas esse putarunt veteres Romani, vsucaptionem, quam cum primis sunt tuiti, facto priuato interuerti; cum vicissim tam absolum non sit, præscriptionem facto soli innixam facto etiam rumpi, sique actionem nouam gigni. Quæ vtut admodumvidentur acuta; certum tamen est, in fori vnu hanc differentiam non amplius obseruari. Fecit quippe Iustinianus, ut præscriptio & vsucapio ratione efficientiæ sibi nunc sint similes, eoque vsucapio litis contestatione perinde rumpatur, ac præscriptio. Quod dudum obseruauit Ioannes à Sande ad R. I. 86, 87.

§. XIV.

Verum tamen audio interea, qui arguant, confundi a nobis interruptionem præscriptionis, seu usurpationem ciuilem cum perpetuitate actionum. Cui dubio sicuti sine negotio satifit; ita haud temere monemus, vix animo posse concipi productionem actionis, nisi prius statuatur, præscriptionem interrumpi. Ea sublata per litis contestationem nouum demum incipit ius, ac noua inchoatur actio. Noua actio vero suos habet limites, inque primis post Theodosiac Iustiniani constitutiones; eoque vix necesse est, ut bini hi effectus, quorum unus sine altero consistere non potest, sum-

ma cura distinguantur. Si qui sint, qui seorsum considerare vnumquemque volunt, eos certe non morabimur; dummodo ne pulsis late palmis singulare quid à se inuentum glorientur, aut ceteros in errore versari pertinaciter contendant.

§. XV.

Nostrum nunc est, vt, quod (III.) intuitu materiæ subiectæ pereuntis exsurgat commodum è litis contestatione, perpendamus. De quo vt accurate constet, exemplo opus est. Fac igitur, animal, quod pauperiem fecit, post litis contestationem mortuum esse, & durabit sane actio noxalis; quæ alioquin intercidit, cum res in eum statum est deducta, vnde incipere non potest v. l.i. §.13. ff. *si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.* Quum enim in actione noxali alterne agatur, vt vel noxæ animal relinquat, vel pauperiem refarciat reus, liquet, totam actionem intercidisse: quod & ad mancipia pertinere ex Vlpiani lege 7. ff. *de actionibus noxalibus* clarum est. At cum lis est in iudicium deducta, viuere vtique actio videtur, estque dominus animalis, vel is, in cuius manus peruenit, cumque quo lis est contestata, sine exceptione obstrictus, vt litis estimationem præstet, hoc est, id quod interest. Etsi vero sunt, qui aliam caussam, quare actio noxalis eo casu intereat, suppedinent, idque propterea vnu venire dicant, quod actiones noxales omnes sint poenales; tamen magnopere falluntur ad vnum omnes. Neque enim poenam hoc loco persequor, sed rem, quæ mihi abest, cuiusque dispendium vel animalis deditio, vel solutione eius, quod interest, pensatur. Animalis deditio non vrgetur in poenam, sed vt mihi vtcunque satisfiat. Et finge poenales, quid hoc quælo faceret ad interitum actionis

nis? Neque enim animal punitur, sed homo animalis dominus, vel quasi. Atque hic vero quamdiu viuit, puniri potest, animali licet mortuo. Vnde relinquitur, solam persecutionis morte animalis non extinctæ caussam esse litis contestationem, cuius ope damnum faciens animalis dominum, seu possessorem e conventione noua adoritur, vt nunc, quod interest, præstet. Nititur enim tota actio de pauperie, quæ simul est noxalis, naturali ratione, nec tam poenalis est, quam rei persecutoria: vtat XII. Tabulae e jure Græco coortæ eius iam mentionem iniiciunt. Vix enim est, vt XII. Tabularum lex æquitatem ratione sufful-tam excludat, aut resipuat. Nam qui quadrupede in sui commodum vti expetit, is etiam caueat, ne alteri sit incommodo; aut si culpa ei obici nulla potest, rem relinquat no-xæ, vel id, quod abest, rependat. Sed res amplius in rerum natura non est; nec dominus ea re vti cupit, quia non est. Idcirco mortuo animali tota actio intermoritur quoque. Animal autem mortuum animal non est, nec dedi potest. Ideoque sola litis contestatio eam sustinet efficitque hac ratione actoris conditionem meliorem. Quod & Iacobus Gothofredus ad l. 86. ff. de R. I. & Antonius Faber in rationalibus probant; contrarii hac parte Petro Fabro Iureconsulto ceteroquin perdocto.

§. XVI.

Sed restat (IV.) litis contestatae commodum respectu actoris, si reus pereat, qui deliquit. Nam cum suos alioquin autores poena tenere soleat, neque ex regula poenales actiones in hæredes dentur, quia delicta peccantibus, non peccantium hæredibus cohærent, ratio sane deficeret, qua-re in rei hæredes continuetur actio, si litis contestatio id

id

id non efficeret. Huius autem rei ratio nullo negotio redditur. Si enim litis contestatione quasi contrahitur, vel vere inter litigante, conuenit, expectaturos sese decretoriam sententiam; conuenit etiam, idem facturos hæredes; maxime cum omnes contractus & conuentiones ex lege transeant ad hæredes. Quare sicuti hæredes rei in commodo afficiuntur; ita actor eiusque successores commodo fruuntur sat grandi.

§. XVII.

Saltem dubium oritur, an accusatio etiam aduersus defuncti hæredes propagetur, iique post litem contestatam defendere accusatum teneantur, & soluere iudicatum? Et fateor rationes dubitandi occurrere quamplures, quare extinguitur tota accusatio, &, si hoc, frustra queritur, an vlo modo obligentur accusati hæredes aut ad soluendum, aut bona reddenda fisco. Sane Modestinus l. 20. ff. de accusat. non solum litis contestationem, sed & condemnacionem requirit: *Ex iudiciorum, inquit, publicorum admissis non alias transeunt aduersus hæredes poene bonorum ademptionis, quam si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta: excepto repetundarum & maiestatis iudicio, quæ etiam mortuis reis, cum quibus nihil est actum, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur.* Fac iam, condemnationem deesse, vtrum extinguitur poena, an ad hæredes transmittitur, qua transmititi potest? Et putarunt Græci interpretes, disiunctim loqui Modestinum, vt aut lis sit contestata, aut condemnatio insecuta. Verum tamen obseruatum iam ab aliis est, Græcos vel non intellexisse Modestinum, vel illud η A V T idem valere, quod χ : quod ex aliis auctoribus facillimum probatu. Deinde optimæ notæ distinctio est, quæ inter cri-

crimina publica, aliaque adhibetur. Modestinus in criminibus publicis vtrumque exigit, nempe litis contestationem & condemnationem, in ceteris vero solam litis contestationem sufficere autumat. Vnde Petrus Faber ad R. I. l. 86. seq. animum induxit, Græcos etiam modo loquendi ex CETERIS delictis fuisse deceptos, vt omnia publicorum iudiciorum admissa post litem contestatam ad hæredes transire existimarent; cum potius illud CETERIS aut extraordinaria & ciuilia delicta comprehendat, aut publica quidem, sed e quibus agitur pecuniariter. Postremum Meuius Part. V. D. 393. defendit, prius caterua Doctorum. Ego Mevio quidem adsentior, posse e publicis delictis omnino nunc agi ad multam, hoc est, pecuniariter, adeoque teneri quoque ex hoc capite hæredes in solidum. At alia longe quæstio est, an sic statuerit senseritque Modestinus in lege excitata. Vnde opera pretium erit adscribere verba dubia: Ex ceteris, ait, delictis pena ita demum inciperet ab hærede potest, si viuo reo accusatio mota est, licet condemnatio nondum est secuta. Res eo redit, vtrum cetera delicta absolute opponantur publicis criminibus, an iis solum, quæ publicationem bonorum merentur. Si prius, vincitur Meuius, sin posterius vincit. Sed vincitur profecto.

§. XVII.

Tametsi enim in delictis priuatis non semper adhibetur vocabulum accusationis; tamen id vniuersale non est; immo commentitum, non adhiberi. Observantur accusationes in criminibus extraordinariis, quæ nec publica sunt, seu legitima, nec priuata; animaduertuntur

D

tur itidem accusationes in delictis priuatis. Vnde Dionysius Gothofredus haud inepte verba: *si viuo reo accusatio mota est*, circumscribit: si lis contestata est. Potius ad verum proxime accedit, Modestinum omnia excludere iudicia publica, cum iis opponat IUDICIA CETERA. In ceteris autem sunt tum extraordinaria, tum priuata. Alia quæstio est, an si agatur ad priuatam satisfactionem, seu id, quod interest contra hæredes publici iudicij exceptio locum inueniat? Cui dubitacioni bene respondet Petrus Faber ad R. I. 86. p. m. 393. Nec tamen, inquit, ideo recte quispiam de capitali crimine omnino post rei mortem non queri, afferuerit; nam etsi publica quidem accusatio reo, vel rea ante defunctis perimitur, ipsaque pena, (que vindictam scilicet publicam respicit, corporalis nimirum, aut honorum ademptionis: sic enim accipendum, quod ante diximus) extincta sit: attamen adhuc manet eius, quod PRIVATIM cuiusque interest, persecutio, scilicet si cum ipso reo antequam decederet, lis contestata fuerit: cum & ex priuatorum delictorum causa (que leniora profecto sunt) post contestationem pænales actiones aduersus hæredes transfere constet, ut statim dicturi sumus, nec probabilis, non dicam vera, vila ratio adferri possit, quamobrem cum grauior offensa est, ut solet in iis admissisque publico iudicio leges (adeo ut cuilibet de populo potestas accusandi & experiundi esset) vindicari voluerunt, non sit æquius proprii doloris vindictam cuique competere, ut accusatio reo viuo mota, eo dein ante finem accusationis mortuo, causa nihilominus peragatur. Sed tunc caue putes, publicum iudicium agitari. Eripiuntur bona indignis, vtut morte extinctis, eripitur hæredibus iniustum lucrum, Verum tamen putat celeberrimus Meius,

uius, agi ad multam iuste, quantumuis e crimine publico, quod legi publicæ Corneliae, Iuliæ, Pompeiæ innititur. Ego vero quanquam id non censeo iniquum; tamen semper remanere existimo *ἔγνωσις*: an ad mentem Modestini? Et hoc negatur multo certius, quam adfimatur. Quippe publicatio bonorum partialis est publicatio interea. Qui vero ad id, quod interest, hæredes actione pulsat, non agit ad publicationem. Igitur Meuius & Petrus Faber de diuersissimis verba faciunt: quorum postremus hæredes a poena & mulcta absolvit, ab eo, quod interest non item. Iacobus Lectius ad l. *Modestini de pænis*, quæ est 20. ff. de *Accusat.* & *inscript.* Meuio ICto, ut ut perperam, prelufit. Aliud enim prorsus est accusare ex publica lege, & persona defuncti, aliud adimere hæredibus, quod habent sine caussa, aut persequi, quod interest sua. Nulla hic proprie accusatio est, sed repetitio. Repetit fiscus, repetunt legitimi hæredes, repetunt, quibus ius est, nec poenam, aut multam poscunt illi, sed suum, vel alienum iniuria apud alterum existens reposcunt. Vbi vero & pro cuius tribunalí poposcerint repoposcerintque veteri iure, dicere abstinemus. Quia tanquam vulgare præponimus, non amplius fisco addixisse Iustinianum bona adempta, sed primi secundique gradus hæredibus reliquise. v. *Nouell. 134. c. vlt.*

§. XIX.

At restant commoda quamplurima e litis contestatione prodeuntia; sed quæ tamen ominia inde potissimum deducas, quod litis contestatio vel habita sit pro quasi contractu, vel possessores in mala fide constituerit. Quod ut clarius innotescat, faciamus periculum.

D 2

§. XX.

§. XX.

Per litis, inquiunt, contestationem, res fit litigiosa, idque lex probat 2. C. de litigiosis. Res litigiosa alienari nequit. Ecce? Quia res in iudicium deducta, conuentioque certissima adest, te mecum hac de re certaturum, meque tecum, & iudicis sententiam auditum vtrumque. Quomodo igitur alienabitur res, siue corporalis, siue incorporalis sit, de qua disceptaturum te promisisti? Sane disceptatio omnis esset inanis profusa, si res non appareret amplius, quae tamen, in iudicium deducta: vt ne de dolo dicam, qui in omnium oculos incurrit. Quae de necessitate obiciuntur, huc non pertinent.

§. XXI.

Præterea obseruatur, post litis contestationem non amplius solui posse adiecto, nec aliud pro alio creditori. Quare fac, me stipulatum, vt aut mihi, aut Titio aurei darentur mille: deinde ipse peto, litemque contestor. Hac contestatione aduersarium constringo, vt mihi soli soluat, adiecto nihil tribuat: quamlibet ante acceptum iudicium facultas esset, numerare summam promissam adiecto. Delet hic litis contestatio, atque nouat aliquid, delet facultatem soluendi adiecto; simulque eum ineptum reddit ad accipendum, quia meum ius per quasi contractum & nouum & melius & pinguis factum est. Similiter res sese habet in debito, vbi aliud pro alio præstare licebat. Si quis, inquit Vlpianus l. 57. ff. de solutionibus, stipulatus fuerit decem in melle, solui quidem mel potest, antequam ex stipulatu agatur, sed si semel actum sit, & petit de decem fuerint, amplius mel sol-

ut

ui non potest. Stipulatori quippe animus erat habendi decem. Mel est adiectum eoque debitoris arbitrio reliatum, in melle ne sit soluturus, an in numerata pecunia? Quaritur, quamdiu arbitrium duret? Sane si alternativam stipulatus quis esset aut tres mellis fauos, aut decem, libertas petitione auctoris nondum foret extincta. Haberet vtique reus ius eligendi. At decem mihi promitti curauit. Adiectum est in melle, si placeat debitori, isque soluendo me anteuferteret. Et non placuisse vero videtur, quia mel distulit dare. Ergo definit soluentis, nuncque meum incipit arbitrium. Petii decem, amplius mel solui non potest igitur. Quare? Qui litem contestatur nouat, qui nouat contrahit, qui contrahit, sibi aliquid acquirit, actionem puta, aut obligacionem. Iccirco noua conuentione extinguitur facultas reponendi mel pro decem. In principali obligatione decem sunt. Est igitur exigendi decem libertas mihi, vt illi soluendi libertas est in melle. Quamobrem dicendum, aut me non habiturum facultatem exigendi decem, aut habiturum. Si prius, cur mihi sum stipulatus decem? Sin posterius, quare igitur debitor solet in melle, non in numis, cum tamen possim exigere decem? Vnde intelligitur, me fecisse agendo & litem contestando, vt totum obligationis ius in me sit translatum. Audiamus eruditissimum Brissonium de solutionibus & liberat. lib. I. p. m. 222. *Quod si*, inquit, *per iudicem petierit, exinde adiecto soluendi potestas adimitur: propterea quod litem contestando occupasse debitorem, & in se totum obligationis ius transtulisse intelligatur.* Itaque non de nihilo apud Julian. *hęc verba addita sunt*, Ante litem contestatam.

tam. Atque hoc in toto pene iure animaduertere possumus, iudicio accepto duriorum debitorum, creditorum meliorem conditionem effici, multasque debitoribus competentes facultates amitti.

§. XXII.

Dum Briffonius occupationis mentionem facit, plurium recordor exemplorum, in quibus litis contestatio occupantium meliorem conditionem reddidit. Pertinent huc in primis l. 9. ff. de V. O. l. 19. de re jud. l. 16. de duobus reis stipul. Quas luculentius liceret exponere, nisi eodem fundamento niterentur decisiones vniuersæ. Occupare hoc loco actionem instituere sonat. Actione instituta lis contestari solet. Per litis contestationem aliquid utriusque voluntate in judicium deducitur. Quod in iudicium deductum, si condemnatio sequatur, praestandum est: nulla hic variatio permittitur. Igitur intelligitur perspicue, quomodo occupatio facultatem adimat reo redeundi ad id, quod praestare ante litis contestationem poterat. Plura non addo.

§. XXIII.

Sed adiicio tamen aliquid de mala fide, quam eadem litis contestatio operatur. Cui enim innotescit, alterum petere aliquid & vindicare rem tanquam suam, ei sane copia est, restituendi, antequam damnetur, quod petitur, de quo ipse merito nunc dubitat, aut an suum sit, dubitare potest ac debet. Qui dubitat, an res potius aliena sit, quam sua, in bona fide versari definit. Qui in bona fide esse definit, is in mala fide versari incipit. Vnius finis alterius, nempe malæ fidei initium ponit. Qui opinionem dominii, vel quasi amittit, is cum

cum condemnatur, ad omnia restituenda obligatur, quæ non pertinebant eo tempore, dum notitiam meliorem acquirit, ad suum patrimonium. Igitur & fructus retinere nequit, sed a momento litis contestatae vtique obstrictus est ad reddendum eos; eoque obligatio restituendi a litis contestatione & noua conuentione pendet, quæ nulla erat, quamdiu ad suas facultates dominiumque rem retulit totam, deque alterius iure nil quicquam resciuit exacte. Ex quo demum infertur, possessorem non solum extantes, sed & perceptos ab illo interuallo, & percipiendos honeste omnino debere restituere; quid? quod consuritos quoque, quibus est locupletior factus. Duntaxat difficillimum probatu videtur, quoad quis locupletior sit factus. Sapissime enim id non appetat; nec sufficit dixisse, catenus aliquem videri ditiorem, quatenus rei suæ pepercit. Iterum quippe disputatur, quoad quis rei pepercit suæ? in primis si consideretur, posse venire vñu, vt quis nihil in facultatibus habeat, quam quod nunc est reddendum, aut parum admodum residuum sit, de quo modice fuisse victurus, si intellexisset, restituendum aliquando maximum diuinitiarum cumulum. Quas difficultates iam Puffendorfius animaduertit Lib. IV. cap. XIII. n. 9.

§. XXIV.

Pluribus tricis obnoxia quæstio est, an, si quis rem dari stipulatus sit, debeantur quoque fructus post item contestatam? De fructibus nihil in stipulationem deductum est. Quin qui stipulatur fundum per se, seu, quod idem est, principaliter, fructus sane tanquam debitum actione in personam atque ex stipulatu vix posse per-

persequi videtur. Sed enim hoc ipsum argumento est, eos fructus, qui stipulationis tempore fuerant, peti non posse; non autem recte infertur, nec eos itidem iuste posci, qui a lite contestata sunt capti. Aliter si foret, reus sane haberet, quod non esset habiturus, si statim bonam fidem agnouisset, & actori dedisset, quod promissum dari. Iohannes Gœddeus *de contrah. & commit.*
stipulat. cap. XI. conclus. 8. existimat, tum demum fructus post litem contestatam deberi, si rem meam locatam, oppignoratam, commodatam in casum certum, vel incertum restitui *stipulatus* essem. Tum enim me adfirmaturum recte, aliquid e re mea apud aduersarium superesse. Quod secus, si fundum dari *stipulatus* sim simpliciter. Nihil enim penes reum ex re mea inueniri. Enimuero si quis recta secum ratione pensaret, quæ mea fuerit animi intentio, quando sum *stipulatus*, fundum dari per se, cuius nec dominus sum, nec fui;clare patet, me vacuam possessionem eius fundi poposcisse, ac promissorem consensisse petito meo. An vero intelligi potest vacua possessione fundi fine fructibus? Fac ergo, me sic petere fundum ex *stipulatu*: promissor non dat, sed litem contestatur: dein condemnatur, & præstat fundum, fructus negat. Quæritur, an iure? Et non putem. Facit enim litis contestatio, facit noua conuentio, facit mala fides, vt ne iniuste exigam. Ade argumentum stringens: sicuti in stipulatione contrahitur, ita iudicio contrahitur. l. 3. §. I. ff. *de peculio*. Hinc infero: contractus igitur in iudicio facit, vt a momento litis contestatae debeantur fructus quoque in iudicium deduci, etsi e prima stipulatione non debebantur.

tur. Summatim dicam: vim iudicij hanc esse, inque eo hoc iudicis officium, ut quale quidque est, cum petitur, tale praestari debeat. *Quod si factum esset, verba Donelli sequor ad tit. de V. O. l. 78. §. 1. p. 297. n. 4. ab initio, habere potuisse & auctor fructus, & quaecunque alia, que propter rem obtingere potuere: proinde & ista officio iudicis praestantur. conf. l. 2. ff. de usuris.* Nec conquerendi caussam indipiscitur reus, vtut adseueret, se fructus non promisisse speciatim. Sat est, fructus hoc causa ad instar cause ei, quod in iudicium deductum est, merito accedere. *Quæ responsio est Marci Lyclamæ comment. ad Iulianum in l. vinum 22. de R. C. p. 271.*

§. XXV.

Vnde haud veretur idem Iureconsultus acutus defendere, usuras quoque incipere ex strictis actionibus post litem contestatam currere citra vinculum stipulationis. Putat enim litis contestationem representare stipulationem, similiter atque res iudicata, vt ob moram exigantur usuræ. Quod extreum nec Goeddeus negat, propter legem 1. & totum titulum *C. de usuris & fruct. rei judicatae*, huic opinioni alioquin valde contrarius. Ex quo luculenter patet, non consequi necessario, vt usuræ seorsum debeant promitti, si post rem iudicatam sine peculiari stipulatione obligatur reus. Accedit, iniuste postea litigare reum, inque illa lite temere perseuerantem sibi tribuere merito, quod sua culpa sentit damnum.

§. XXVI.

Equid enim est, quod adfirmant Iureconsulti veteres l. 38. ff. §. 7. de usuris & fruct. l. 25. ff. §. 7. de hered.

E

red. petit. per litis contestationem moram induci? Tametsi enim non sine specie dicitur: quod ante moram in strictis actionibus non debetur, id, ut debeatur postea, moram non effectoram, tamen obseruandum est, eos, qui ita argumentantur; principium petere, quando animum inducunt, sola *stipulatione* usurpas in strictis iudiciis in obligationem deduci. Repeto enim, litis contestationem æquiparari stipulationi, vti æquiparatur res iudicata. Parum quippe Wissenbachium ad tit. ff. de usurpis iuvat aliosque adfirmantes, usurpas odio premi; cum vicissim fructus æquitate nitantur. Est enim hæc decidendi ratio mere precaria. Usurpas sunt fructus ciuiles, quæ, si sint temperatæ, æquitati omnino conformati sunt, nec ab humanitate quoque desciscunt: quod Gerardus Nodtius evidenter probat lib. I. cap. IV. seq. de *fænore & usurpis*. Hinc est, quod, libera Republica euanescente, præstantissimi iuris architecti usurpis locum reliquerint, ita ut ex pactis adiectis & mora in bona fidei iudiciis deberentur: in strictis vero post litem contestatam demum præstandæ essent. Quod etsi ipse Nodtius cum Wissenbachio ac sexcentis aliis negat; tota controversia tamen eo reuenit denique, vtrum sola *stipulatione*, an etiam *actu stipulationem representante* usurpas in obligationem deducantur: quodque de fructibus & re iudicata proditum, ad usurpas extendi queat? At mea sententia nulla extensione opus est. Rotunde enim l. 35. ff. de usurpis adformat: *lite contestata usurpas currere*. Quem locum qui de bona fidei iudicis expoununt, nimis sane frigidum sectantur: quandoquidem in his ante litem contestatam quoque usurpas currunt: quin fri-

frigidius foret, si sic explicaretur, per litis contestationem vsluras in illis æqui bonique iudiciis non abrumpi. Quis enim hac de re dubitauit vnquam, aut salua iuris cognitione dubitare potest? Immo, inquis, adeſt dubitandi ratio, quia litis contestatio nouatio est, quæ priſtina extinguit. Quocirca singulare videtur, vſluras non currere. Facile quippe respondeo Nodio ita arguenti: litis contestationem nouationem necessariam esse, quæ non tam extinguit vtilia, quam feruat; in primis hoc loco, vbi eo tempore, quo lis contestatur atque in euentum longioris moræ vſlura petuntur ab actore eoque pacto in iudicium deducuntur. Hodie omnis hac de re lis inanis est, cum actiones vniuersæ sint bona fidei atque vnuſquisque iudex ex æquo rem contueri atque decidere queat. Ex quo concluso, nostram interpretationem nemini nocitaram in vſu fori; etſi, quod non putamus, intuitu rei Romanæ falla foret. Quod iudicium cum Ioanni Sandio lib. III. tit. XIX. definit. I. itemque Ulrico Hubero arridere videam; tanto minus istud mihi erit fastidio.

§. XXVII.

Quoniam in transcurtu aliquid de mora inspersimus; lubet indagare, quid sit, litis contestatione moram induci? Video enim nimis crude hoc in scholis proponi vulgo. Vnde definiendum primo, quid sit mora? Et non errabo, si dixero, moram esse iniustam cessationem eius, qui iure interpellatus non facit. Nam sumo, litis contestatione esse interpellationem iudicialem. Qui non soluit, vel præstat, cum interpellatur, differre videtur. Qui differt non facit. An igitur illico

lico post hanc interpellationem solennem aliquis in mora constituitur? Et durum hoc foret. Quid enim si reus ciuili iure debeat, & interea exceptione tutus sit? Quid si alio petatur loco, quam quo debetur? Quid si nondum venit dies? Quid si plane nondum cessit? Quid si ignorem, quid, quale, & quantum debeam? Quid si ad iudicium prouocem fine dolo? quis adfirmet temere, lite contestata statim aliquem in mora iri constitutum? Itaque teneas, rogo, facile pronunciari: *litis contestationem moram inducere*, vt est in l. 82. in fin. ff. de V. O. at difficultimum iudicatu, num reus maluerit litigare, quam soluere? Vnum non sufficit: requiruntur bina, 1) vt reus item sit contestatus, 2) vt sit frustrandi causa ac temere contestatus. Ex quo infero, recte arguere Marciandum Iureconsultum l. 32. ff. de usuris examine opus esse, quare post litis contestationem cessauerit litigator? vtrum cum causa, an sine causa? Quin Diuum Pium Tullio Balbo rescriptisse, an mora facta intelligatur, neque constitutione vlla, neque iuris auctorum quæstione decidi posse: cum sit magis facti, quam iuris. Cuius observationis usus non erit contemnendus, si quis secum reputet, quam sint hic Doctores volatichi, quamque confusi. Valde enim me tñdet, quando apud Obrechtum de litis contestatione cap. X. n. 68. sine falso grano scriptum lego: *Litis contestatio moram inducit, & estimationi quanti plurimi locum facit: quia debitor reus eo ipso moram facit, quod mauult litigare, quam soluere, & quia ab eo tempore estimatio quanti plurimi non immerito fit: nec decrescentis valoris damnum alterius sit, quam illius,*

per

per quem stetit, quo minus solueretur, & ne moratori fru-
stratio prosit, vel sit impunita. Probata mora verum est,
 reum puniri. Frustratione in luce constituta non amplius ambigitur, quin estimationem rei, quanti pluri-
 mi sit, præstet; nimis, si pereat, aut aliquid vitii
 contrahat illa. Sed mora delictum est, vel verum, vel
 quasi. Delictum probandum; ac sola litis contestatio
 vero non probat, sed tantum anam suppeditat Iudici
 examinandi posthac, an cum, vel sine dolo malo præ-
 stationem distulerit reus, ac litigauerit. Quod iterum
 facti est. Quo circa hæc regula: *litis contestatio moram*
inducit bene multis exceptionibus & limitationibus ob-
 noxia videtur. Dependet delictum & mora a persona,
 eiusque animo, consilio & facto. Vno verbo: interpellatio aliquando occasionem moræ dat, non autem illi-
 co eam operatur (*). Ac mora ex re aut nihil est, aut
 mora ficta. De qua plura vir clarissimus Gerhardtus
 Nodtius concessit *de fœnore & usuris lib. III. cap. IX. &*
X. De cetero tralatitium est, moram non solum post,
 sed & ante item contestatam aliquando induci: quandoquidem interpellatio extra judicialis haud raro tam
 est efficax, quam judicialis. v.l. 46. §. 4. C. de Episcopis
 & Clericis. adde Nodt. libro laudato

cap. 7.

E 3

CAP.

(*) Confer Lynkeri Decis. CCCVII, p. 180.

CAP. III.
DE
LITE CONTESTATA NON
INCOMMODA.

§. I.

Est in regula juris LXXXVI. plerumque solere conditionem litis contestantis meliorem fieri, detiorem nunquam. Vnde illico infero: item contestatam nullo tempore esse incommodam.

§. II.

Quae enunciatio, vtut multorum auribus accidit peregrina, & singularis, cum collegerint Doctores varia, quibus in peius mutetur item contestantium status, non puto tamen, eos habuisse satis argumenti. Pleraque enim aliena a scopo sunt, neque $\pi\zeta\sigma\varsigma \epsilon\nu\sigma\varsigma$.

§. III.

Nam quod per litis contestationem actor obligatur instantiae, vt ab ea discedere nequeat, quod iudicem recusat non licet, quod procurator amplius mutari non potest, neque hic ad cautionem compellitur, nec libelli immutandi ius, nec denique vno fideiustore electo post iudicium acceptum petitionem in omnes redintegrare fas est; haec omnia, inquam, non tam aliquid incommodi afferunt actori, quam eius proposito apprime congruunt, cum actor, si vir sit honestus, aut iusti studiosus, aliud nihil desiderare possit, quam vt lites suo Marte decurrant,

&

& ad finem sine iniuria aduersarii perducantur. Quod autem reus aliquando incommodo afficiatur per litis contestationem, partim ad nostrum thema non pertinet, partim propriæ eiusdem culpæ tribuendum est. Quare enim non cedit, aut dat, aut restituit, cum agitur, & petitur isque persequenter in iure iudicioque animaduer-
tit?

§. IV.

Sed videamus, age, varia exempla, vnde eluceat, li-
tis contestationem actori nihil, quod eius scopo confor-
me sit, adimere, aut detrimenti adferre. Et est in colla-
tionum materia thema satis memorabile. Quæritur
quippe *I. 2. §. 4. ff. de collationibus*: An filius emancipa-
tus iniuriarum actionem, quæ sæpe pecuniaria est, con-
ferre teneatur? Ad quam questionem cum reponatur,
non teneri; illico aliud *§. 4. ff. de collationibus* cooritur, an si litem conte-
status sit, eam actionem conferre cogatur emancipatus?
Qui juris principiis paullulum confuse animum imple-
uere præcipiti forte consilio adseuerabunt, eum vtique ad
conferendam hanc actionem videri obstrictum, quia iniuriarum actio, accepto iudicio, iam in bonis nostris com-
putatur. Quod vero ad patrimonium nostrum perti-
net, iure confertur, partim vt damnum a suis hæredibus
auertatur, partim æqualitatis ratio seruetur. Sed ego ve-
ro, et si inficias non eo, actionem iniuriarum tum putari
in bonis nostris, si litem contestati sumus, quem hoc di-
serte prodat *Vlpianus I. 27. ff. de iniuriis & famosis libel-
lis*; tamen non censeo audiendos, qui actionis iniuriarum
in iudicium iam deductæ collationem flagitant. Non
vtar ratione generali, quam adferunt omnes, filium fami-
lias

Ias non tam pecuniæ, quam vindictæ persecutionem habere; vindictam autem non conferri. Plane qui sic arguit, imbecillitatem iudicii suopte indicio prodit. Post item namque contestatam omnino caussa pecuniaria fit. Pecunia collationi obnoxia est. At melior ratio habenda, propterea emancipatum a collatione liberum pronunciandum, ne litis contestatione deteriorem suam conditionem redderet; quod sane esset futurum, si collationis onere gravaretur. Quod omnium optime Iacobus Gothofredus in Commentario ad l. 86. ff. de R. I. expendit.

§. V.

Quibus præmissis dubio iam supra moto plene satisfactis, quando aliqui litis contestationem propterea no-
tiationem appellare veriti sunt, ne vetus extinguitur actio. Hæc enim in medio relinquitur, & eodem semper loco manere censetur: nihil hic tollitur nihil immutatur: salua sunt omnia; ne forte decadat aliquid item contestanti; neue is non inueniat, quod ante habuit: quamlibet non semper vtatur veteri iure, sed nouum saepe in sui commodum conuertat. Admodum præclaras sunt, quæ in commentariis ad rubricam denotionibus adtulit Hugo Donellus, ICtus perspicacissimus.

§. VI.

Quin vix ambigo, esse nunc exemplum, quod sequitur, solutu facillimum. Titius a me centum mutuo accepit: Tu Meui fideiussor acceptus a me conuenitis, dum moras nequit debitor Titius. Ecquid manus mihi actiones tuas, & me procuratorem in rem meam

am eo modo constituis: conuenio Titium actione manda-
ti a te mihi cessa, perinde ac si mihi cessis actionibus faci-
fecisses: sed in iudicio succumbo: queritur an ad te redire
possim Meui? Non est dissitendum, rectius me facturum
fuisse, si periculo cedentis actionem mandati suscep-
sem: sed fingimus & ponimus, factum hoc non esse.
Ergo in dubio quid? Mevio faret, me actionem sub-
secuto mandato intentasse debitori Titio, ac litem con-
testatam nouasse, perque nouationem sic fuisse extin-
ctam aduersus fideiussorem Meium actionem. At sic
noceret actori litis contestatio. Itaque verius dicitur,
litis contestationem nequicquam nocere eidem; sed, si
quid amittat, id non tam fieri propter litis contestatio-
nem, quam cessionem sine conditione acceptam. Nun-
quam enim per litis contestationem deterior fit condi-
tio actoris. Enim vero nunc demum ad arma conuo-
candi sunt Iureconsulti, vt quid loquatur obscurus Pau-
lus ff. 1.45. §. fin. mandati audiant intelligentque: *Idem*
iuris esse si mendato fideiussoris cum reo egism, quia sequen-
ti mandato liberaretur ex priori causa. Prior causa fidei-
iussoriam stipulationem signat. An igitur ab hac libe-
ratur per sequens mandatum Meijus fideiussor? Et
credam cum Paulo Iureconsulto, si sine conditione ces-
sam actionem acceptasssem ego. In cessione debitum
verum desideratur, non bonum semper. At actionem
aduersus Titium in solutum mihi dedit Meios. In
cessione etenim non solum adebet mandatum, sed sepe
solutio. Quod ad modum loquendi, Paulus sane græ-
cisit. Liberari *ex* priori causa significat liberari à pri-
ori causa. Quare hoc solum restat, ambiguumque est,
F quid

quid sit liberari sequenti mandato. Verum tamen salua sunt omnia, si solutionem cohærere dicas mandato, totumque cessionis negotium saepe vocabulo MANDATI exprimi adfirmes, quia negotium hoc ordinarie mandatum inchoat. Et procuratorem in rem suam autem non esse merum mandatarium alibi euicit Praeses in Gundlingianis part. VI. cap. II. Quæ de litis contestatione immiscentur a Gœddeo *de contrah. & committenda stipulatione* cap. V. conclus. VIII. n. 94. a scopo aliena sunt. Fieri enim non potest, vt litem contestantis actoris conditio efficiatur deterior: vtut interea vincit Gœdeus, cui propositum erat ostendere, mandato non fieri nouationem, cum totam actionem aduersus fideiussorem cessio sine conditione accepta & approbata perimat.

§. VII.

Nunc aliam speciem e separationis priuilegio examinabimus; QVOD commodum est, quo prouisum creditoribus hæreditatis. Nam si hi existimauerint, hæredem, post proprios illius creditores secum commixtos, non fore soluendo, bonorum separationem impetrare poterant a pretore, hoc est, vt bona hæredis a facultatibus defuncti plane distinguerentur. L. 5. §. 1. ff. *de separar.* Iam fac, Iauolenum nil timuisse primum, sed hæredi potius ordinaria actione iudicium dictasse, cumque eo litem esse contestatum. Postea vero resciscit, imminere fortunarum ruinam: prodire creditores hæredis; dubium esse, num solidum consequi possit. Quæritur, an Iauoleno ad separationis beneficium con-

fuz-

fugere etiamnum liceat? Ratio dubitandi occurrit, pulsasse lauolenum hæredem actione, eoque illud beneficium spreuisse. Neque negandum, creditores hæredis acquisiuiisse nonnihil iuris, ne bona semel confusa, separationis obtentu, a reliqua massa fecerterentur. Sed magis est, vt separationis priuilegium obtineat; eaque ratione Marcianus l. vlt. ff. de separationibus decidit, adiiciendo, creditores hæreditatis *ex necessitate hoc fecisse*. Iacobus Gothofredus non male existimat, loqui lure consultum de nouatione necessaria, qualis est litis contestatio. Aliud foret, si creditores hæreditarii nouandi animo essent ab hærede stipulati, quod defunctus debuit, vel fideiussorem ab eo, vel pignus accepissent. Sola litis contestatio actoris conditionem in deterius mutare nequit: idque l. 2. C. de bonis autoritate iudicis possidendis & de separationibus confirmat. Addo ex Analyse Iulii Pacii, debita ordinarie exigi ab hærede, eoque, quod fecere creditores hæreditatis, iuri congruerter, hoc est, necessario fecisse.

§. VIII.

Quod ut clarius innotescat, e contrario inquirendum est, num ii, qui separationem bonorum illico impetravere, neque solidum consecuti sunt, ex defuncti bonis ad hæredem possint reuerti, puta, si ex solutis propriis eius debitibus aliquid superesset? Papinianus l. 3. §. vlt. ff. de separationibus æquum id existimat, Paulus atque Vlpianus contra. Extremi l. 1. §. 17. & l. 5. ff. Eodem suæ sententiæ hanc adferunt rationem, quia, postulata & impetrata bonorum separatione, ab hæredis persona recesserunt & defuncti bona secuti sunt, malentes sibi fe-

separari: quo quidem pacto hæreditis personam liberaſſe ſunt viſi. Sed ego vero Papiniani opinionem ratio- ni & iuris principiis non minus puto conformem. Praeponit hic, creditores hæreditarios in iuſtissima ignoran- tia fuſſe, hæredem eſſe ſoluendo. Quid enim ſi cre- ditores hæreditis creditoribus defuncti in aurem gani- uiffent, debitorem ſuum ære alieno eſſe admodum ob- rutum? Quid ſi ipſe poſt aditam hæreditatem ſimulaffet æris alieni magnitudinem? An igitur dimiſſis credito- ribus ſuis eorumque debitibus exſolutis, conquerendi cauſam inueniret hæres, ſi ex rēſiduo honorum teſtatoris, ſeu defuncti ſeparationem impetrantibus ſatiſfacere cogat- tur? Et animaduertunt omnes, Papinianum recte re- ſpondere, quemlibet alium creditorem hoc caſu ſat ha- biturum cauſſæ, vt ob rēſiduum appellet hæredem. Ad hunc ſimileſque ille caſus reſpicit: qui primo obtutu- a- liquid dubii oſtentund; neutiquam vero generaliter de- cernit, ſemper & omni caſu redire ad hæredem ſepa- rationem impetrantes poſſe. Idem igitur Papinianus, quod Vlpianus l. 1. §. 5. ff. *de ſeparat.* ſentit: nec tanta eſt inter Paulum ac Papinianum diſfensio, quantam iis Desiderius Heraldus obſeruat. & emendaſ. libro cap. IX. tribuit, Tri- bonianum negligentiae incuſans, vt qui ſub eundem ti- tulum Iureconsuſtorum contrariaſ ſententias ſine iudicio congeſſiſſet. Qua reprehenſione nunc non erit, credo, opus. Quod huic conciliatiōni contrarium, fo- lum hoc eſt, non poſſe conſpirare Paulum cum Papinia- no, quem is conſuſtet. Salement Cuiacium & Desiderium Heraldum in ea opinione verſari, Paulum Papiniani ſen- tentiam l. 5. ff. *de ſeparat.* conuellere. Verum tamen quam-

quamvis lubens concedam, non alium magis in scriptis
Pauli vapulare Papiniano, in præsenti fieri illud non
crediderim. Nec enim putat Papinianus, semper hære-
ditariis creditoribus post electum separationis be-
neficium subueniendum; adeoque is non pertinet ad
illos QVOS DAM SIC PVTANTES; quos refellit Paulus.

§. IX.

Sed in viam. Aliud rei nostræ conueniens exem-
plum adfert Iacobus Gothofredus Vir laudatissimus ad
Reg. LXXXVI. de priuilegio pupilli ex l. 22. de tutela &
rationibus distrahabendis. Defensor, inquit Paulus lib. XIII.
Quæstionum, tutoris condemnatus non auferet priuilegium
pupilli: neque enim sponte cum eo pupillus contraxit. Quæ-
stiones Pauli cum sint breuissimæ, isque, propter multi-
tudinem huiusmodi quæstionum, ē συνόλεις cum insigni
verborum parsimonia singula pertractet, hinc operæ erit
premium subiicere thema maiori verborum apparatu:
Pupillus cum Seii tutoris defensore litem est contesta-
tus, isque condemnatus. Iam fac, adoleuisse pupillum,
& pristinam tutelæ actionem ex priuilegio suo repetitum
ire, quæritur, an possit? Obstat videtur pupillo, quod
iam aliam elegerit actionem, & priuilegium dimiserit, in
primis cum non solum litem sit cum defensore Seii tuto-
ris contestatus; verum etiam is sit condemnatus. At
respondeat Paulus, neutquam pupillum sponte contraxis-
se cum defensore Seii. Vno verbo: non hic nouatio ob-
seruatur voluntaria, sed necessaria: quam distinctionem
Iuculentius signat Paulus l. 29. ff. de nouationibus. Vnde
merito colligitur, litis contestationem non nocere pu-

pillo: saluam esse actionem, saluum priuilegium: in medio relictā videri vniuersa.

§. X.

Atque hac ratione demum innotescit, quam negligenter præter Iacobum Gothofredum exposuerint regulam Iuris 86. & 87. interpretes, vane sibi persuadentes & a contrario sensu inferentes, actoris conditionem PLE-
RVM QUE fieri meliorem, ergo QUANDOQUE etiam reddi deteriorem. Cuius illationis me prorsus piget. Potius ita concludendum fuisset: actoris conditio lite contestata fit melior plerumque; nunquam autem deterior. Non solet idem sonat, ac nunquam solet. Vocabula plerumque indicat duntaxat, non semper fieri meliorem. Sed paralogismus est, & pudenda illatio: itaque aliquando fit deterior. Immo dic per ἀντίστοιχον: nunquam efficitur deterior. Quod si obseruassent Doctores, tam inficeta non cumulassent, ut probarent, in deteriorius flecti actoris conditionem accepto iudicio. Quam enim illepidum est, quod doctus alioquin Ioannes Ferrarius adfert Montanus, Marburgi docens scribensque: fieri aliquando, ut reus actione impetus post litis contestationem ab actione absoluatur? Adiicit, citra litis contestationem id non fieri, eoque hic videri actoris conditionem deterioriem quodammodo reddi. Puer comprehendit, non hoc litis contestationem efficere, sed caussam malam, sed exceptionem rei peremptoriam rite probatam. Est hic fallacia non caussæ ut caussæ, est tam absurda ratiocinatio, ac si quis corpori hominis occisi tribueret caussam necis, vtpote sine quo occidi, &

è con-

è confortio mortalium expelli nequiuisset. Ohe! iam sat est.

CAP. IV.

COMPARATIO PRACTICA COMMODORVM LITIS CONTESTA- TIONIS CVM COMMODIS CITATIO- NIS HODIERNÆ.

§. I.

IAm campum ingredimur, in quo variae velitationes & pugnæ cernuntur inter imperitos rerum. Pauci quippe hic acutum cernunt, & peritiam ostendunt: utrum pragmaticorum nomen affectant, & decisio-nes & obseruantiam eructant, nil minus, quam pragmati-ci, sed sola empirica cognitione leuissime imbuti; con-fundentes interea & miscentes omnia, cælum terræ & hanc iterum sideribus, soli, lunæ, Veneri, planetis stel-lisque fixis vniuerfis.

§. II.

Veritati consonat, citationem apud nos initium ef-se iudicii, seu primum eiusdem actum: sed propterea tamen adeo negligenter non est tractanda tota litis con-testationis materia, sed accuratius paullulum excutien-da differentiæ inter ius antiquum & nouum ratio.

§. III.

Primario enim & ante omnia advertendum est, Ma-gistratus nostros ipsosmet de facto cognoscere, præto-res

res vero de iure solo sollicitos non nisi extra ordinem facti notitiam affectasse aliquando. Hæc cura pedaneo iudici relinquebatur tota: inque hoc indagando orationem operam ille collocabat; eoque cognito pronunciabat secundum formulam sibi præscriptam, aut, si primo obtutu de omnibus prospicere Prætor non poterat, condemnationi suæ ex æquo & bono nonnihil de usuris frumentisque pro re nata apponebat. Itaque apud iudicem **IUDICIVM** incipiebat post solennem testationem: hic primus actus erat solennis. Quidquid apud prætorem siebat priuatim fieri censebatur; nec errant, qui totam in ius vocationem *extra iudicialem* appellant, quod apud veteres tralatitium erat, distinguentes inter ea quæ in iure, hoc est, apud prætorem, quæue in iudicio siebant. *Quod totus titulus Institut. de divisione stipulationum* satis superque indicat.

§. IV.

Non iam differam, quando & quo tempore pedanei iudices desierint dari: et si certissime intelligo, nec Diocletiani ac Maximiani, nec Theodosii, nec ipsius Iustiniani tempore penitus eos desiisse. Id Schilterus ad tit. ff. de iudicis dudum monuit: hoc præclare Nodius de *Iurisdictione lib. I. cap. XV.* demonstrat: nec contraria sententiam, nisi indocti tuerintur. Istud extra dubium collocandum, nostram iurisprudentiam ignorare in ius vocationem, ignorare citationem sensu Romano, ignorare iudices pedaneos; ac magistratum quemlibet & de iure & de facto cognoscere, & totum iudicium illumique actuum forenium complexum ordinare ac dispensare, carissimæ controvæ persecutionem, & rei

rei ad eam responcionem , contradictiones, exceptiones-
ue recipere , cognoscere & suum actori reoque tribuere
atque exequi quoque sententiam suam. Quocirca vna
regulariter persona, siue physica, siue moralis, est, quæ
publica auctoritate omnia peragit, ac partes totius iu-
dicii regit, iura respiciens, simulatque factum è proba-
tionum ac reprobationum argumentis exquires.

§. V.

Vnde cum apud nos aliosque populos iudex & ma-
gistratus non differant, omniaque publico nomine per-
agantur ; liquet certe, iudicium non amplius, immo
nunquam à litis contestatione incipere, aut incepisse us-
quami, sed oblationem libelli, aut imprestationem *cita-
tionis hodiernae*, quæ iuris Pontificii auctoritate firmata
est, totius iudicij principium esse. Vbi vero iudicij
principium, ibi litis pendentia, ibi præuentio, ibi oc-
cupatio , ibi iurisdictionis propagatio , atque actionis
perpetuitas. Quæ omnia fecus erant apud Romanos,
qui litis contestationem pro primo solenni, ac publico
actu habebant.

§. VI.

Quæ quum viderint Vmmius (*) & Gaius (**) aliique l ureconsulti quamplurimi, non poterant tamen temperare sibi, quin iuris Romani vnum manibus pedibusque censerent retinendum. Subtili quippe animo distinxere inter initium iudicij respectu iudicis & personarum litigantium , atque inter initium iudicij respe-

G

ctu

(*) Disput. ad processum iud. XII. thes. V. inque notis
passim, ac maxime p. 502.

(**) L. II. Obseru. LXXIV.

50 CAP. IV. COMPARAT. PRACT. COMMODOR. LIT. CONTEST.

Qua actionis, seu controversiae. Hanc a litis contestatae demum interuallo statuerunt incipere. Cuius opinionis egregiam, si Diis placet, speciem propterea perdite coeperunt deamare, ut ne recedendum sibi esset omnino ab antiquis iuris Romani regulis. Hinc eius generis voces in foris etiamnum circumstrepunt: rem demum à litis contestatione fieri litigiosam, actionem perpetuari, prescriptionem interrumpi, totius controversiae disceptationem incipere. Extremum è latitudinibus iurisprudentiae Romanæ est, ubi demum post litis contestationem lis in controversiam mutabatur. Apud nos vero absurdum est, ut, dum comparent partes, aut, si contumaces sint, sub pena confessi & conuicti citanter & multstantur, controversia nondum cepisse, nec res in libello nominata litigiosa, nec actio perpetua effeta, nec prescriptio interrupta dicatur; cum interea non, nisi ex priuilegio ab instantia semel fixa recedere citatus, nec actor quoque, nisi refusis expensis, resilire ab instantia queat. Vno verbo: Romana ad res nostras non quadrant.

§. VII.

Quo pacto multo certius conuincitur Illico Vmmius, quam Schilteri in exercit. ad ff. XIII. §. 4. ratione ciuiis, ut qui Vmniūm non intellexisse videtur exacte, differentiam antiquam **LITIS & CONTROVERSIAE** in mente habentem. Certo enim elabitur Vmmius cum affeclis, quando Schilterus ad *adversaria* refert, litis pendentiam citatione induci, nec rem tamen litigiosam fieri. Reponet quippe, aliud esse litis pendentiam, aliud controversiam. Etiam apud Prætorem in iure diceba-

cebatur lis esse, non autem, nisi contestata lite, controversia, quod in obseruationibus suis iam Cuiacius adnotauit. Itaque multo clarus nunc patefit, Vmnum ceteroque omni molimine fategisse, vt ne dictoria iuris Romani intercederent, sed eorum vſus potius retineretur, retentusque ad nostrorum iudiciorum ordinem, Diis hominibusque inuitis, accommodaretur. Quam viam cum elegerint ad vnum fere omnes, mirum non est, dissonantia in huiusmodi libellis reperiri; ita vt vnum hunc effectum citationi detrahatur, alter tribuat; hic rem citatione fieri litigiosam adfirmet, sed actionem neget; ille vtrumque adseueret; atque iterum alius vtrumque improbet: non animaduertentes, magistratis apud nos iudicantibus non amplius e penu Romanarum legum aliquid promendum, sed e sola ratione atque ~~in~~ iuris recepti fore argumentandum.

§. VIII.

Id singulare, Georgium Beyerum Iureconsultum Wittebergensem ad ff. de *iudic.* induxisse animum, originem litis contestationis Romanæ a cura libertatis Romanæ esse deducendam: nihil eos tulisse in actionibus violenti: omnia consensu partium debuisse peragi: id que in caussa esse, quare in contumaciam aduersus absentem procedi non potuerit, atque hanc in rem Oldendorpium is in auxilium aduocat.

§. IX.

Quæ quam sicut precaria, ne dicam illepida, in primis intelligent, qui ad Græcorum morem iudices pedaneos in Rempublicam Romanam fuisse introductos certissimis argumentis tenent. Nam & apud Græcos

52 CAP. IV. COMPARAT. PRACT. COMMODOR. LIT. CONTEST.

de facto non cognoscebant magistratus. Istud autem prorsus futile est, nihil Romanos violenti tulisse. Ipse Beyerus violentam in ius vocationem obtinuisse calculo suo approbat: & qualis hæc, quæso, violentia, citari partes cum auctoritate à magistratu post oblationem libelli? Quod autem in contumaciam procedi nequiverit, id non ex eo deriuandum, quia id violentum; sed quod in ius vocatio esset priuata. Litigantes vero legisse sibi iudices, non tam libertatis sequela erat, quam intemeratae iustitiæ administratio, ne quis posthac corruptum & alteri parti addictiorem iudicem sibi clamaret obtrusum. Id Cicero innuit in orat. pro Cuentio: *Neminem voluerunt maiores nostri, non modo de existimatio- ne cuiusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse ius- dicem, nisi qui inter aduersarios conuenisset.* Hæc de iu- dice conuentio vero nondum absoluebat litis con- testationem, sed conuentio in ἔγνωμενοι deque eo testato & legitime facta adfirmatio & negatio. Atqui hoc na- turale est; solaque peculiaris testium conuentio arbitra- ria censeri debet. *Quis vero dixerit, conuentionem in* ἔγνωμενοι *a cura libertatis Romanæ prouenire?* Miscer Beyerus distinta admodum ac distinguenda. Potius hoc peregrinum, id græcum, hoc Romanum est, Magi- stratum non iudicasse de facto. Ius dicere, & de iure de- cernere erat prætoris. Nostri iudices, qui simul magi- stratus munere funguntur, utrumque peragunt. Hinc illico de iure & facto cognitionem postulamus, cum primum ad magistratum imus; isque vi potestatis suæ cum auctoritate citat reos, ut respondeant ad postulata auctoris, hicque iterum ad exceptiones rei. Ius & iudi- cium

cium non discernuntur: quin citatio iusta & legitime insinuata iudicium firmat. Igitur iudicium, & iudex stilo Romanorum aliad prorsus signant, quam idiomate in nostris tribunalibus recepto. Conuentio vero in *xenóμενοι* eadem apud nos est atque Romanos: solum hæc iudicium non inchoat, sed id citatione inchoatur.

§. X.

Ergo quidquid olim primus actus iudicij sustulit, istud quoque citatio aufert: quia hæc, vti litis contestatio, solemnis est ac publica; cum e contrario in ius vocatio ad priuata negotia referretur. Vnde non male aliqui in ius vocationem interpellationi extra iudicium factæ compararunt. At inde tamen non est inferendum: itaque litis contestatio non inducit hodie malam fidem, non interrupit usucaptionem & præscriptionem, non facit rem litigiosam, non perpetuat actiones, non constituit in mora. Immo vero hæc omnia efficit litis contestatio; neutiquam tamen sola; sed hæc ipsa quoque efficit citatio & sic nostris moribus litis contestationem, hoc est perspicuum in *xenóμενοι* conuentionem anteuertit: cuius rei cauſam indicauimus iterato.

§. XI.

Quocirca id fere solum litis contestationi hodie remanet proprium, præcipuumque, vt actiones personales in hæredes & contra hæredes transitorias reddat: deinde nouas qualitates actioni iam natæ motæue addat. Quo merito refertur libelli *immutabilitas*, quæ post litem contestatam inducitur, ac propter conuentionem in *xenóμενοι* pro fixa merito habetur, non tam solius REI bono, quam ACTORIS quoque, qui ad eam in probando nun-

quam non respicit, vt, quæ adfirmata & sibi nota sunt, liquidissime ante oculos ponat. Et ita vero conditio litigii contestantis nihilominus melior, deterior nunquam fit.

§. XII.

Finiremus totam dissertationem nisi dignam examine quæstionem reputaremus, an citatio actiones ad personam restrictas in hæredes transitorias efficere queat? Supra laudatus Titius non improbabiliter id posse statui opinatur; sed suæ interea opinionis caussam reddit nullam. Si quid video, miscet ille perpetuationem, seu perpetuitatem actionum cum illa qualitate in hæredes transitoria. Saltem in *obseruatione XLIII. ad Lauterbachium* in fine perpetuas ille & transitorias in hæredem actiones promiscue appellat. Quod non est ferendum in homine ceteroquin acri & diligent. Est enim facile comprehensu, quomodo citatio actiones efficiat perpetuas, vtut Bachouius ad Wefenbecium & Vmnius hic leguleios agant, & ne verbum in iure nostro ea de re inueniri glorientur. Frustra enim in effectibus citationis detegendis ad ius Romanum prouocatur. Dependent hic omnia ab initio iudicii, quod efficit apud omnes fere gentes citatio cum auctoritate magistratus emissa. Nec opus esse existimo, vt id e iure canonico probetur. Potius recte statuitur, citationem, cum interrupcat præscriptionem, perpetuas quoque efficer actiones. Consecutio inde claret: sublato impedimento, quod actiones reddit temporarias, aliter fieri vix posse, quam vt siant perpetuae. Sed indubium est, citatione tolli impedimentum præscriptionis; igitur *fina-*

sempiternæ erunt vtique, donec à Iustiniano introduc-
tus lapsus XL. annorum filum durationis nouamque a-
ctionum qualitatem & vitam iterum abrumpat.

§. XIII.

At aliud longe est, actiones personæ cohærentes
transire ad hæredes. Ad id nihil confert perpetuitas.
Certum quippe, iniuriarum actionem respectu lœsi cita-
tione fieri perpetuam. Verumtamen saltus est, quem
committit Titius, immo paralogismus & error, quan-
do eandem actionem, quæ ad vindictam tendit, illico
transilire ad hæredem concludit, quia respectu lœsi, seu
potius iniuria affecti perpetua est effecta. Aliquid am-
plius requiritur, vt cum hærede communicetur.
Iura enim ossibus personarum non inherentia transire
ad hæredes notissimum est. Enimvero hic nouum im-
pedimentum oritur, nempe, quod hæc actio ad vindic-
tam tendat: quod sane tollendum est primum. Citatio id
efficere nequit, nisi quidem aliquis inepte adseueret, cita-
tionem tum nostro, tum hæredum nomine emitti. Et
fac, aliquem tam fore infrunitum, qui id adfirmare ausit,
an non hæredi obstat exceptio, tua non intereat? Sed for-
te citatio contractus erit, aut pactum, vt si hæres acqui-
rat ius, aut in hæredem transmittatur litis aestimatio, ac
mulcta? At non occurrit iuris tam peregrini defensor,
qui tam cruda in forum studia proiecerit vñquam. Vn-
de verisimilius infertur: id igitur solam litis contesta-
tionem, seu conventionem, aut contractum, aut nouatio-
nem efficere, puta, vt hæres iniuriarum actionem in iudi-
cium deductam prosequatur, ac contra hæredem delin-
quen-

quocumque immiliter agat, actione poenali in actionem iudicati & rei persecutoriam transfusa. Quod si dicat Titius, aut qui eum sequuntur, ab arbitrio imperantium dependere, an citationi huiusmodi effectum tribuere velint; tum respondeo, talem nondum natam esse legem, nihilque eo argumento aliud confici, quam huiusmodi legem posse condi aliquando. In praesenti nondum condita est, nisi quidem vniuersalis obseruantia sit, quæ est in Camera, vt hæredes etiam iniuria affecti actionem estimatoriam fine litis contestatione præcedente continuare queant, dummodo citatio legitime sit insinuata. Verum in alis iudiciis omnibus huiusmodi praxis non obseruatur: ac proinde tanquam singulare adnotatur, ratione subiecta: esse in camera & fervere insignem litium multitudinem, simulatque ordinem litigandi tam longum, vt litigantes intra annum ad litis contestationem peruenire nequeant. Et aliunde vero innotescit, *fatalia* parti noxia non currere, quando stat per iudicem, quo minus in causa procedatur. Quod Gaiilius Lib. I. obseru. 64. n. 6. itemque Harprechtus ad §. 12. *J. de iniuriis* n. 67. diligenter monent. Nos autem ista repetendo manum de tabula simul retrahimus, ne ad nauseam recoquamus, quæ alibi leguntur a diobolaribus obseruata.

FINIS.




PRÆSES
DISSERTATIONIS
RESPONDENTI.

S.

REcte facis , RAMSLERE
suauissime, quod, antequam a Fri-
dericiana recedas, publicum doetri-
nae tuae specimen edis, testatum fa-
cturus hoc modo, TE tempus in academia nostra
non male collocasse, sed tam seuerioribus, quam
humanioribus litteris bene politum ad patrios i-
terum lares contendere. Neque enim sufficit,
viuere inter commilitones & friuola in scholis
publicis, eaque ratione consernoscere per quin-
quennium in nugis. Potius publico bono ali-
quid trahendum & discendum est, ne, parentum
votis elusis, inficitiae labes ad infima ignaos de-
trudat , ineptiisque deditos morum infamia a
conspicu primariorum hominum remotos in te-
nebris
):

nebris deponat. A qua viuendi ratione cum te
ipsum abstraxeris sapienter, neque nunc timeas
prodire foras; hinc facile intelligitur, talem te
aliquando futurum, qualem cognitum tum Tu-
bingensis, tum nostra Academia iudicauit diu.
Rogo DEum, ut qui PATREM tibi dedit pru-
dentia & grauitate conspicuum, ingenium felix,
mores ingenuos; is quoque PRINCIPEM Tibi
indulgentem ac MAECENATES fauentes pro do-
ctrinæ tuæ mensura conciliet. Vale & nostra-
rum quoque Musarum semper memor viue.
Halæ Magdeburgicæ VII. Cal. Decembr.

CICERO



94 A 7343

ULB Halle

000 543 829

3



KD 17



Q. F. F. S.

DE

LITE
CONTESTATA
COMMODA PLERVVM-
QVE INCOMMODA NVN-
QVAM
PRAESIDE
NICOLAO HIERONYMO GVND-
LINGIO ICT.

SERENISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS
INTIMIORIBVS ET ECCLESIASTICIS, IVRIS NA-
TVRAE AC GENTIVM I FEMQVE ELOQVENTIAE
ATQVE ANTIQVITATVM PROFESSO-
RE ORDINARIO

D. *Nouembris H. L. Q. C.*

DISPV TABIT

DANIEL FRIDERICVS RAMSLER
Cantstadiensis Wurtenbergicus.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.